UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Gasparis Barzaei Belgae E Societate Iesv: B. Xaverii In India Socij

Trigault, Nicolas

Coloniae, 1611

Liber Secvndvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45183

Visual Library

VITAE P. GASPARIS BARZAEI BELGAE

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Armuziæ descriptio.

HACTENVS Gasparis velitationes; nunc iusta hoc libro certamina, non cum dæmonibus modò atque omni exercitu vitiorum, sed cum ipsa natura quoq; commemorabimus. Atq; hoc posterius priùs dicere operæ pretium, vt natura loci cognita, velut stadij in quo decurrit Gaspar, eximij athletæ virtus inclarescat.

Armuzia insula est eademque ciuitas, & emporium longè celeberrimum. Insula, quam alio nomine indigenæ Gerum vocant, sita in Persi-

Persici sinus freto, & in vigesimo-septimo eleuati poli gradu, leucis ab Arabia felice duodecim; à Continenti Persidis duabus; à Carmania prouincia quatuor distare perhibetur. Carmaniæ parebat olim, & adhuc vestigiũ est in eius Metropolis nomine Armuza; nunc Regem habet suum, eumque vel insulæ vel vicinorum locorum possessione non parum potentem. Parua est omninò, & in circuitu quatuor non totas leucas habet. Et profectò non satis scio, an toto terrarum orbe reperiri ciuitas possit, in qua sic diuitiæ cũ paupertate, copia cum sterilitate, commoda cum incommodis, arte naturam superante, sint coniuncta. Commoda fere sunt hæc: Portus duo, è quibus cætera in vrbem commoda inuehuntur: alter ad ortum solis, ad occasum alter; ex vtroque latere sinu percommodo à natura facti, vt onerarijs è quauis mundi plaga confluentibus fidam præbeãt stationem. Inde factum emporium earum mercium omnium, quæ

vel ex Oriente, vel ex Occidente, imò & ab Aquilone, Armenia videlicet, Persia, Parthiaque deuehuntur. Ea propter mira & nusquam fortè maior gentium varietas: Europæi permulti, Russi, Poloni, Hungari, Veneti, Lusitani; ex Asia, Turcæ, Saraceni, Armeni, Arabes, Indi; ex Africa Abyssini, & quicumque mare rubrum accolunt. Ex his omnibus diuitiæ & negotiatorum opes propè incredibiles, atque ex opibus mirus decor ciuitatis, vt gloriari incolæ soliti sint, neque exterorum iudicio immerito, orbis gemmam, si annulus is foret, Armuziam fore. Ex ijsdem opibus deliciæ, vel in iritamentis gulæ, vel cætero cultu; denique cũ ibi nihil sit, nihil tamen deesse dici potest.

Hæc propè omnium vrbium ornamenta, quæ ars Armuziæ congessit, ferè totidem malis natura ibi cũ arte perpetuò dissidens facilè compensauit. AEstus in primis tanti vis, vt ardere omnia videantur; nusquam alibi tantus, ne sub ipso quidem

dem æquatore. quod sanè mirum videri potest, cùm extra tropicos in zona sit temperata. Causam, quia melior non inuenitur, conferunt in incredibilem soli siccitatem; etsi sanè facilius est siccitatem ab æstu, quàm æstum à siccitate ortum persuadere. Tanta igitur est siccitas, quanta est meri salis ac sulphuris; è quibus duobus tota insula composita videri potest. Ipsos fluuios æstate in salem, vt hyeme in glaciem sua in Zelandia & Hollãdia coire Gaspar affirmat; inde è sale colles, quibus alij, si aliquos exhauseris, repentè succedunt. Eius acrimonia tanta est, vt quam carnem condierit, propè exedat. Nec sulphuris minor copia ferunt olim toto septennio arsisse; nec ita dudum montem vnum arsisse perhibent; hodieque montium vertices ignei coloris, aut calcem referentes incendium videntur confirmare. Ex hac, vt dixi, siccitate æstui propè intolerabili ars vtcumque mederi hoc modo solet. In ædium atrijs

è frigida thermæ fiũt; in ijs collo tenus, & temperandi æstus & conciliandi soporis causa, velut in liquidis culcitris, versa in delicias necessitate, pernoctant. Terræ motus his incommodis cùm accedunt, tum demum speciem præbent inferorum. Ij sunt ingentes & frequentes; ac paucis mensibus, quibus ibi Gaspar initio fuit, octies nouiesve insula formidabiliter trepidauit.

Ex his omnibus rerum omnium sterilitas tanta est, vt quidquid ad humanæ vitæ sustentationem facit, si deesse ibi dixeris, citiùs rem explicueris, quàm si herbas, arbores, aues, aquam potabilem, nedum vinũ, segetes, feras, ac cætera eius generis negaueris reperiri. Ea omnia ferè importantur, nisi si quid imbrium ab auaris nubibus præstolétur, & cisternis excipiant studiosiùs propè quàm vinum dolijs Lusitani. Ea sufficere poterant vniuersa, vt quantumlibet frequentem vrbem desolarent: sed ea, quæ non minus poteſt in frequentandas qui

in de-

in desolandas ciuitates, ingeniosa cupiditas attulit horum malorum miseris mortalibus vel remedium vel contemptum. Ad extremum omittere non possum rem ea in insula sanè admirabilem. Paucæ sunt in quodam insulæ angulo palmæ, quò sal nondum sese intulerit. Ex fructum ferunt, qui omninò non matureſcat, nisi ramo alterius item palmæ, sed sterilis, tangantur: quod si omissum fuerit, fructus ante decidunt, quàm ad maturitatem perueniant; planè vt hæc in suo genere Midæ virgula possit videri.

CAPVT II.

Armuziam Gaspar ingreditur.

EAM in vrbem venit Gaspar incendio maiore incensus, quàm quo ciuitas irato ac incenso Phębo cõflagrabat. Quocirca non aliter ac in lumine fieri solet, maiori minus cedebat incendium. Nauis vt in conspectum venit ciuitatis, auditum est subitò Patrem è

Societate Iesu, vel, vt Lusitani vocant, nomine sanè vel pio vel speciosо , Apostolum aduentare; erant dispositi in portu, qui Vicario ac ceteris aduentum indicarent . Episcopus enim Goanus, Ioannes Albuquercius, & Societatis vniuersæ,& præsertim Gasparis amicissimus, litteris eò missis prœuenerat,quibus collaudatum à doctrina & eloquẽtia,atque vtriusque ornamento integritate vitæ, Gasparem mandabat excipi,non secus ac seipsum. Itaque in portu priusquam exscenderetur, cymbæ duæ summo remigum conatu, dixisses de celeritate contendere, ad onerariam in alueo stantem aduolabant. In altera Armuziani regis custodiæ Præfectus , Tritanus Dorta,Lusitanorum amicus, Gaspari opiparum epulum submittebat; altera Vicarius cum vniuerso clero Gasparem salutaturus vehebatur: quem Gaspar vbi vidisset, mox positis genibus vnà cum socio prehẽsam eius dexteram osculatur . Notata fuit non sine admiratione Patris

tris modestia, qui licet tanta cum Episcopi potestate veniret, tantum nihilominus Vicario detuliſſet. Inde cymbâ suâ acceptum, in arcem Lusitanam ad Præfectum (is tum erat Emanuel de Lima, magnus deinde Gasparis admirator) cum vniuerso clero pæne sollemni supplicantium pompa per vrbem deducit. Ab eo acceptus est, & pro Emanuelis humanitate, & pro Episcopi voluntate. Expletis deinde salutationis officijs, agi de Gasparis habitatione cœptum, & cœptum simul à Præfecto & Vicario officiosè litigari, vtroque de excipiendo hospite contendente. Verùm Gaspar vtriq; gratijs impẽsè actis diremit litem, Patrum Societatis, vbi fieri potest, domum esse valetudinarium; eandem suam fore, non aliam vllam ad expugnanda vitia, vel se tuendum, arcem esse aptiorem. Indigna res initiò visa; sed Patris constantia cum amicissimorum hominum officijs ad victoriam vsque depugnauit. Itaque in Xenodochium à Vi-

cario postridiè abductus (nam primam noctem sibi precibus importunis extorserat) stuporis bonos omnes ac spei compleuit, venisse hominem, qui depositam ciuitatem in sua vitæ sanctitate ad spem salutis reuocaret.

CAPVT III.

Quo instatu Armuziam Gaspar offenderit.

PRIMA cum extremis collata ferè defectum profectumque declarant : itaque videri vt possit, quantum Armuziæ profecerit Gaspar, dicendum est, quo in statu repererit ciuitatem. Et fortasse non minus feciisse illo videbatur, qui totidem infideles moriens reliquit, quot fideles factus Episcopus numerabat. Ac primo quidem capite ciuitatem descripsimus, mores in hunc locum reseruauimus. Quæ de Armuzia iam dicta sunt, ferè loquente nemine satis produnt ea, quæ sum narraturus. neque enim hominum colluuies esse solet absque secta-

sectarum colluuie, nec delitiarum copiæ sine copia vitiorum, nec diuitiarum cumulus sine cupiditate & iniuria. Sed tamẽ quæ vbique reperiri solent, non solum Armuziæ redundabant: verùm etiam insolẽs quædam, inaudita, & incredibilis (nihil augeo) peccandi libertas dominabatur, cùm etiam ipsa peccandi consuetudo peccatis fœditatem & vulgo nomen ademisset.

Armuziæ Rex ijs temporibus erat iuuenis, idem Regis Lusitani Ioannis III. vectigalis, & Lusitanis peramicus, qui ad res suas tuendas, & commercia ab omni iniuria vindicanda, arcem, Regibus quà volentibus, quà nolentibus, & sæpè victis, iam olim construxerant, in eaq; præsidium habebant è suis plerumque ac 700. Regi subiectus populus, gẽtium, vt dixi, plurima colluuies, maximam primùm sectarum varietatem induxerat. ibi enim quisque non solùm pro arbitratu viuebat: sed etiam quælibet superstitio suo palam ritu colebatur. Gentiles

Vitiorũ sentinam Armuziam repetit Gaspar.

indigenæ exteriúque vario quisque ritu sua Deorum somnia venerãtes, secundam feriam festam habebant: Iudæa fæce vrbs tota fœtebat; ex ijs erant captiuitatis Babylonicæ reliquiæ (neque enim Babylonia, quam hodie Bagnadad vocãt, procul aberat) & ex Europa fugitiui; sacrum ijs erat suum illud sabbathum: Turcis & vniuersæ Saracenorum, & Mahometanorum sentinæ, quorum deliria pro oraculis habebantur, feria sexta clamoribus insanis transigenda placuerat. Erant denique re pauci, etsi nomine plures Christiani; ijque vel Græci, vel Armeni, Abyssini quoque, & hæretici Poloni, Russi, Hungari: qui licet omnes & opinionibus & capite diuisi, haberi tamen volebant Christiani; ijs verò vel nullus vel Dominicus dies erat sacer. Lusitani demum erant & alij pauci, vel Itali vel Germani, reliquis excepta fide nihilo propè meliores: quanquam & in fide quid crederent, nesciebãt; hoc etiam reliquis peiores, quòd

quòd nullius sectæ cultus ita atque verus Iesu Christi (prô dolor) iaceret. Connubia passim erant cum Saracenis vxoribus, vel stupra; proles matri similiores quàm patri parentum intolerabilis negligentia in peregrinos ritus abduxerat; feneratitius quæstus hominis erat frugi & negotiatoris; luxuriæ genus omne; diceres ponyropolim Philippi Regis, in quam, quidquid flagitij aut sceleris esset vspiam, retrudi iusserat. Certè audet Gaspar asserere, nõ aliam vllam esse vel fuisse gentem desperatiorem, in quam sic vniuersa horribilium flagitiorum monstra conuenerint; de quibus plura non dico: nam ex adhibitis pharmacis & curatione patebit infrà legentibus ægritudo.

Quo putatis hîc animo fuisse Gasparem nostrum? Contigit illi planè, quod Indicam nauem ingresso, diffidentia quædam subijt animum, & desperatio frugis faciendæ. Sollemne siquidem illi erat in magnis quibuslibet ad Dei gloriam

aggrediendis, semper à sui diffidentia inchoare: quæ quanto altiùs in proprię cognitionis abyssum descēderit, tanto sublimiùs animum, ad omnia potentem in Deo qui eũ cōfortat, eleuabit. Itaque nil illi animi propè supererat, nisi ad eos fletus, quibus mala tanta deploraret. Quocirca ad Deum conuersus magnis lacrymarum imbribus & oratione peruigili Dei contemptum & læsi numinis iniurias ponderabat; inde ad ea punienda exsoluendaque, Christi exemplo, quæ non rapuerat, in seipsum acriter flagellis, cilicina veste, ieiunijs, vigilijs, & reliquo asperitatis genere sæuire est aggressus: quibus ipse amoris plenas voces intermiscens opem sibi, misericordiam ceteris ab offenso numine eblandiebatur. Hæc erāt arma, hæ exercitationes nostri pugilis mox in aciem proditurī: qui vbi se indutum virtute ex alto persensit, ita nunc animosus, vt ante timidus, omnes inferorum phalanges vitiorumque turmas audacter

dacter prouocabat. Sed non neſciēs ordinem rerum gerendarum magiſtrum, maximè in eo laborauit, ne quidquam ageret perturbatè: quod eò mirabilius eſt in eo feruore ſcelerumque varietate, quo potuiſſet impetu quilibet alius abreptus omnia facere, nihil perficere. Variæ, vt dixi, erant Armuziæ ſectæ; quamlibet earum, ſuo quamque die ſacro, vt eò ægriùs dæmoni faceret, ſtatuit oppugnare. Itaque Gentilibus feriam ſecundam, ſextam Saracenis, Sabbathum Iudæis, Dominicū, ac dies cæteros aſſignauit Chriſtianis, & ijs maximè, qui ab Franciſco commendati fuerant, Luſitanis. Nos eiuſdem veſtigijs inſiſtentes eam diſtributionem ſeruabimus in narrando, quam ille tenuit in agendo; quid cum ſingulis egerit, quidue profecerit. Ac primùm quidem, quæ cum Chriſtianis perfecta ſunt, vtpote in quos prima cura Gaſparis incubuerit, perſequemur. At quoniam tractatio ea longior, ab ipſo Gaſpare petita partitione

tione diuidetur. In singula quippe vitia velut singulari certamine, etiamsi simul vniuersa impeteret, depugnabat.

CAPVT IV.

Rerum diuinarum ignoratione laborantem ciuitatem erudit.

INTER cætera ciuitatis mala forsan etiam præ cæteris densissima erat Armuziæ rerum diuinarum ignorantia. Nam etsi non deerant aliquot Sacerdotes, ij tamen vel nihilo vulgò doctiores, vel vt essent, laboris erant impatientes in ea ciuitate, vbi tot forent incommoda toleranda, vt pati, non agere plus satis esse videretur. Adde, quod etiam eorum nonnulli vnà cum opibus propriæ salutis curam, alienæ tanto magis, abiecerant. Cõstat, ante Gasparem, alium diuini verbi præconem nullum tertiò in pulpitũ conscendisse. Vnde simul cum illa gentium sectarumque nebula tantæ irrepserant tenebræ, vt vulgò etiã ad splendorem crucis, quem posteà ne

Sara-

Saraceni quidem oculis ferre potuerunt, ipsi Christiani cæcutirent. Itaque vulgò pudebat crucis discipulos magistri sui crucifixi: & quod à Saracenis ac Iudęis passim in contumeliam obijciebatur, ipsi contumeliæ loco habebant; & iam Iesum Christum, quem solum crucifixum Apostolus nouerat, ipsi, si potuissēt, negassent cruci affixum. Quod vbi non sine doloris sensu narrauit Gaspar, ita exclamat: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri IESV CHRISTI. Verum antequam ex Aegyptiacis illis tenebris populum Christianum in terram Gessen, vbi lux erat, traduceret, videns quam atrox cum inferno illo Pharaone iniret certamē, inde cœpit vnde Xauerius facere ac docere consueuerat. Nam in valetudinario suo primis se diebus continens, sui contemptum ac demissionem cum insigni caritate coniungebat: in nosocomio ęgris famulari, lectos sternere, cubicula euerrere, pannos abluere, ad infima omnia descendere.

E nosocomio deinde in custodias publicas, iam quodammodo factus audacior, erupit; hæc ille dies aliquot ita faciebat, vt aliud omninò nihil, studio solum orationis, de quo superiori capite, non intermisso. In quo sanè videtur eos, qui vrbem aliquam obsidione cingere aggrediuntur, imitatus. Nam illi suos aggeres vbi extra tormenti iactum inchoarunt, eos ita rotant, ac voluunt, quoad sine periculo se ipsis munitionibus hostium admoueant. Iam itaque sua modestia se, velut noctis silentio, tegens Gaspar, aggeres suos promouebat, cum subitò tuba canit; sed planè admirabili. Tuba viro illi tintinabulum fuit. nam instituto in ea ciuitate hactenus inaudito in vicos prodit, & nola puerorum ac rudium ad expugnandam ipsam ignorantiam mirabili, sed tamen non sine ipsius sapientiæ rudes in eundem finem Apostolos ascisentis exemplo, delectũ facit. Concursum est subitò velut ad ludicrum quoddam ac puerile

spectа-

spectaculum. Hic Pater pueros quà blandioribus verbis, quà prȩmiolis primùm demulcere, & ad loquendum pudorem exuere facit; inde signum sanctissimæ crucis exprimere, exigere, vt se prȩeunte ab omnibus exprimatur; ingenium illorum collaudare. Tum orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, fidei symbolum, præcepta vel Dei vel Ecclesiæ docere aggressus, & vt discendi tædium leuaret voluptate, facili cantu præire, cæteris sequi iussis incepit; denique in hæc & similia, quæcunque Patri sua caritas, demissio, ac Spiritus ipse sanctus suggerebat, strenuè incubuit. Nec facilè credi potest, quantas res ille hoc puerili manipulo perfecerit, aut quem sibi aditum ad maiores aperuerit.

Puerorũ institutiõe plurimùm proficit Gaspar.

Ea res non cæterorum modò, qui ex hoc sinapis semine nunquam tãtam arborem expectassent, sed ipsius Gasparis quoque superauit opinionem. Fauit semper quidem vbiuis locorum Deus Opt. Max. huic rudium

rudium institutioni: sed Armuziæ tantùm illi lucis ac splendoris dedit, facilè vt pestiferæ profanorum rituum nebulæ, quæ iam diu ciuitatem obuoluerant, in huiusce solis aduentu fuerint dissipatæ. Pueri enim ipsi non auidius, quam felicius fidei nostræ mysteria, legis nostræ præcepta didicerunt, cantu ipso vel memoriam adiuuante, vel ad discendum inuitante. Etiam profana carmina in sacros pioſque versus permutari, & vbique tota vrbe, ædibus, atrijs, vicis, publicis locis in periuriorum aut blasphemiarum locum succedere & personare cœperunt. Quotidiana enim Gasparis institutio iam rem ita vulgauerat, vt paucis diebus perfecerit, quod vix annuo spatio se posse speraverat impetrare. Vtinam tam salutari exemplo passim Catholicæ vrbes vterentur! sperari enim posset tanta morum conuersio, quanta ex obscœnis cantiunculis, & ijs, quas nominari inter Christianos nolebat Apostolus, vocibus, magno bonorũ gemi-

E cantiunculis sacris fructus permagnus.

gemitu cernitur corruptela. Nec in pueris, Reip. seminario, stetit fructus; auctore Gaspare è discipulis facti doctores, seruitia sua, parentes etiam ipsos, quos iã insciti æ suæ pudebat, instruebãt; qui simile quippiam fecerat, præmium ac laudem insuper, magnum per se præmium, expectabat. Eadem præmia ijs statuta, qui iurãtem aut quouis alio modo palam peccantem correxissent. Hęc omnia tantũ breui potuerũt, vt iã ad antiquos omninò noui accederent Christianæ institutionis auditores. Parentes passim à filijs adducti, de filiorum, vel laudatorum, vel præmio honoratorum lætitia suam gratulationis partem decerpebant; ac iam passim neminem pudebat in eodem cum pueris ac seruitijs ludo erudiri: viri pueros, fœminæ puellas aut ad respondendum vrgebant aut præueniebant.

Ad extremum dici non potest, quanto vel Gasparis gaudio, vel ciuium approbatione, vel Dei gloria, res ista procedit. Nam Gaspar, quæ

ab

ab omnibus damnari vellet; artificiosè puerili ſuffragio calculoque damnabat; quæ cuperet emendari, pueris vt admonerent vel deferrent imperabat. Itaque ne domus quidē ipſa ſatis Patrifamilias tuta erat ad peccandum, qui filium haberet vel monitorem vel etiam delatorem: cuius rei acerbitatem ipſa puerilis ætas, Patriſque facilitas molliebat. Itaque iam paſſim Armuziç aliæ diurnæ collocutiones, cantuſque nocturni, alius ad ædem ſacram concurſus, alia ſacrorum hominum reuerentia, alia ſacramentorum frequentatio, alia denique ciuitas vniuerſa. Eam in rem quotidie Gaſpar duas horas, ſed planè vtiliter collocabat: nam quæ contigerunt in eo genere, iucundius fuiſſet, vt ait ipſe videre quam audire. Vulgò parentum ſomnus filiorum nocturno cātu interrumpebatur; propè ſingulis in ædibus, iuſſu Gaſparis, ſinguli quæ didicerant, ſeruos ac mancipia, quibus intereſſe per occupationes domeſticas non licebat, ſub noctem edoce-

edocebant. Cùm Saracenorum filijs frequentes erant disputationes puerorum, asserentium sine baptismo salutem esse desperatam: nec sine fructu: pueri plerumque Saraceni sine discrimine per vicos doctrinæ Christianæ capita cantabant; & contigit aliquando, vt Gasparem fortè transeuntem vir quidam honestus interpellarit, & Saracenulum vnum, In nomine Patris, &c. canentem, seseque palàm signantem ostenderit, magna vel sua vel Patris voluptate: qui, vt ait, tum animo Baalam sibi vatem referebat, qui cùm maledicere vellet, vel inuitus benedixit, item illud Psalmi: Ex ore infantium & lactentiũ perfeciſti laudem. Nec nullus ex his cantatoribus ad fidem baptismumque perducebatur. Sed & alia multa præclara sanè facinore Gaspar dux huius turmæ eadem perfecit, quæ alio loco sunt narranda: hæc verò quæ huc de industria sub initium congessimus, ita sub initium cœperunt, vt quotidianis (nullo enim

die

die Gaſpar quantumlibet occupatus omittebat) ſemper inualuerint incrementis.

CAPVT V.

Quantum in tollenda libidine profecerit.

SI fuiſſet vnum genus hoſtium Armuziæ, vno fortaſſe teli genere potuerat expugnari: ſed tanta non in vno ſolum genere erat multitudo vitiorum, verum etiam in diuerſo varietas, neceſſe vt fuerit pugili noſtro omni telorum genere decertare. Et Armuzia igitur non iam à dæmonijs obſeſſa ſed poſſeſſa, arcibus aliquot tenebatur, quas ſingulas Gaſpar oppugnare non deſtitit, donec expugnaret. Itaque in libidinis arcem impetum è ſuperiore loco verbis pro iaculis faciens mirabiliter detonabat. de ſcelere primùm, tum de fructu narrabimus. Vulgò Saracenis pellicibus, Gentilibus ac Iudæis promiſcuè non ſceleratò ſolum, ſed etiã infami amore

Luſi-

Lusitani miscebantur. id adeò vulgare erat, vt ne à coniugatis quidem pro scelere haberetur; in solutis verò iocis aut etiam necessaria oblectatio crederetur. Ex eo scelere fœx illa meretricio partu sanguinem fœdabat Lusitanum, qui partus cùm adoleuerat, magis etiam fœda rituum quàm sanguinis permixtione polluebatur. Eius rei mira Lusitanorum parentum vel dissimulatio vel contemptus; quippe qui de explenda libidine magis essent solliciti, quam de sobole educanda. Neque satis erat vna, vni; vaga multorũ libido pellicum numerum fortunis suis aut sũptu domestico metiebatur, idque ita palàm, vt iam peccandi consuetudo pudorem omnem detersisse videretur. Eadem peste propè omnes, summi, ac infimi, profani & sacri laborabant. Sed neque solùm his limitibus se effrenata libido continebat, verùm naturæ fines egressa in omne genus ferebatur eorum scelerum, quæ non ferunt etiam castæ aures nomi-

nominari. Ea Gaſpari nota fieri dif-
ficilè non erat, quæ nota erant vni-
uerſæ ciuitati. Itaque cum iam ali-
quoties ad eos verba feciſſet, & ful-
getris quibuſdam velut præluſiſſet,
conciliatis iam animis & frequenti
concione cœpit eloquentiæ Chri-
ſtianæ & animi ſui feruenti impetu
detonare, ſceleris grauitatem ver-
borum ſententiarumque ponderę,
exquiſitis vel ſacrarum litterarum
vel Patrum ſententijs, aptis etiam
exemplis aperire, inde cæleſtes iras
vel futuræ, vel huius vitæ, (quam
ferè ſolam eius generis homines cu-
rant) intentare. Nec fruſtra; viſus
eſt Dominus Gaſparis ſententias at
minas ſuo ſuffragio comprobare.
Sub idem tempus frequenter tota
inſula & formidabilior trepidauit
at licet id inſolens non eſſet, nihil
ominus illa minarum reique con-
iunctio effecit, vt eo terræ mot
magis animi, quam ædes, & ciue
quam ciuitas, quaterentur. Gaſpa
enim petitis à natura etiam ipſa ra
tionibus, ex eo diuinas iras prode
bat,

bat, quod alieno iuxta philosophos tempore contremisceret.

Ea re igitur multi seipsos inspexerunt, ac pudere, deinde etiam pigere sceleris cœpit. Multitudinem eorum, qui meretricium amorem vel exuerunt, vel honestiori coniugij veste induerunt, appellat Gaspar diluuium; sed tamen non deerant adhuc permulti, qui ne quod agnoscerent, deserere crimen cogerẽtur, pertinaciter crimen esse clam negarent. Non latuit ea res Gasparem, itaque acriore quodam remedio vtendum ratus, die quadam pro concione Magistratus omnes, quà profanos, quà sacros obtestatus rogare cœpit & obsecrare, memores essent, quam Deo, quam Prælatis maiorib°, quam Regi essent huius impunitatis rationem reddituri; non ideò diuinam clementiam, quòd dissimulet, eorum quorum interest pernicioſam indulgentiam comprobare: inde à precibus ad minas versus apertè protestatus, nisi nefanda hæc flagitia vel igne, vel statuta legibus

E libidinis cano multos eripit Gaspar.

pœna, expiarent, se illos pro hæreticis delaturum. Profuit ea res vniuersis. nam & Magistratus viri vel sanctimonia vel auctoritate territus cautior fuit, & vulgus hanc suorum Magistratuum diligentiam sua quoque emendatione prosequebatur; quosque primum metus fortasse continebat, ipsa scelerum fœditas meliores iam factos deterrebat. Ergo vel omninò non peccabatur, vel remotis arbitris intrà domesticos parietes sese facinora cótinebant. Sensit hoc quoque sagax Dominici gregis allatrator. itaque palàm denunciauit scire se, à quibus & vbi clam etiam post tot denútiationes peccaretur; se quidem breui quibusdam occupationib⁹ expeditum, in ipsa ædium centra penetraturum. Nec minæ fuerunt solũ. neque enim contẽtus hostem suum in eas angustias coegisse, victoria vsus eum persequi & penit⁹ exterminare decreuit. Itaque in ædes penetrãs hostem sicubi resederat, expellebat; nec nunquam in ipso scelere scor-

scortatores deprehendit. Quod cũ ei semel contigisset, cum socio assedit, negans se inde discessurum: verùm Patris præsentiam non ferẽtes, melioraque multis promittentes, rogabant, vt pudori suo consuleret, discederetque; satis iam ex ignominia pœnæ persolutum. abijt denique Gaspar, promissa postmodum seuerè exacturus. Neque fidem fefellerunt. iam enim ab importuno hoste liberi, qui ne in conspectũ quidem Gaspáris venire audebãt, à sordibus expiati, & salutaribus monitis instituti, castimoniam deinde coluerunt. Sed quoniam in eo genere rariora multa, & etiã supra naturæ vires, Deo sanctos Patris conatus admirabiliter promouente, cõtigerunt pauca ex ijs vnde similia colligantur, rerum magis, vt dixi, quàm temporum habita ratione cõgeremus; hoc solùm præmonentes, nihil hoc libro narrari, quod non Armuziæ contigerit.

CAPVT VI.

Rariora quædam, quæ in eodem genere contigerunt.

SOLET fermè Deus huius vniuersi moderationem clementia iustitiaque mirabili varietate continere: sed quoniam hoc tempore clementia iustitiam erga peccatores tanto superat, quanto in futuro iustitia clementiam superabit; ideò frequentiora sunt miserationis eius exempla quàm seueritatis. Illius generis duo, huius vnum, vtrumque in hac libidinis materia commemorabo. Sæpè contingit, vt salutis suæ prodigos bonitas etiam diuina ad salutis curam compellat atque persequatur. Miles erat non armis senior quam vitijs; ille Gasparem subinde de vitiorum, & priuatim de meretricij amoris, quo ipse tenebatur, fœditate differentem audierat: ex ea re cum insolitos animi motus timoresque concepisset, neque tamen ex eo se incendio, quo ardere se sentiebat, eripi pateretur,

conti-

continuis perturbatæ criminum suorum conscientiæ aculeis pungebatur. Ex eo in ipsum Gasparem cómotus, pro eo quòd permotus esse debuerat, sensim tantùm eius horrorem odiumque concepit, vt ne in conspectum quidem illius absque stomacho venire posset; confiteri porrò eidem ipsa morte peius asserebat. Is cùm aduerteret, se, si Armuziæ permaneret, necessariò in eundem incursurum, ac eũ vel videre vel ab eo videri, quod æquè propè detestabatur, aliquandò cogendum; statuit primo quoque tempore, nulla alia quàm Patris fugiendi causa in Indiam nauigare. Iamque data nauigij facultate, pedem ea cogitatione in nauim imposuerat, cùm repente, ac si immisso apparitore sisti eum iuberet Deus, acuta in eum febris insilijt, cum tãta mentis ex humore melancholico perturbatione, vt omninò deliraret. Itaque domum relatus sic affici cœpit, vt iam sibi præsentes cælestes iras ac diuinas iustitiæ minas experiri videretur; si

quem strepitum audiret, vultum auertere; si fortasse tormentum aliquod, vt in arce non rarò, disploderetur, iam se in frusta decerptum arbitrari; amicos, qui ad eum visendum veniebant, pro sicarijs & percussoribus habere. Denique deuenit eò miser, vt tetras illas & horribiles Aegypti tenebras palpare videretur; quę omnia etiam spectra, quæ vel videbat vel videre videbatur, horribiliora reddebant. Atque is erat miserandi hominis status, qui ex anima iam dudum in peiore constituta, in corpus vulgata lue peruaserat. Sed quoniam hæc illi diuina bonitas ad salutem, non etiam ad perniciem immiserat, tantum illi lucis per interualla dedit, quantum satis erat, vt medici, quem tantoperè exhorruerat, posset meminisse. Nec ille diuinæ benignitati defuit, cui afflictio dederat intellectum; Gasparem inclamat, Gaspari se totum accito tradit, animi virus confessione salutari euomit, & quæ res animo, eadem corpori quoque salu-

Miles diuinitus immissis terroribus Gasparis monitis cogitur parere.

luti

luti fuit: qua ille salute ita vsus est, vt idem ei fuerit pœnitentiæ principium ac peccatorum extremum. Ergo amores suos & domo & corde ablegat, acres de se pœnas sumit, in puritate de cætero & continentia perseuerat.

Fugientem igitur istum diuina bonitas est assecuta; hunc quem sum commemoraturus, dolos parantem in astutia sua comprehendit, & vim inferentem vi maiore prostrauit. Is erat nihilo priore melior; hoc etiam peior, quo maiorem ab eo sanctitatem sacer status exigebat. Metuebat ille, ne, qua erat sagacitate, Gaspar sordium suarum grauitatem subodoraretur: itaque vt non crederet si audiret, vel certè à reprehensione obsequijs occupatũ deterreret, statuit officijs frequentibus sibi Gasparem obligare potius, quam demereri. In concionibus erat assiduus & auditor & laudator; in familiari sermone frequens & amicus: nec deerant munuscula, quæ suo instituto Pater ad infirmos amã-

dabat; ad conuiuium etiam non rarò inuitabat, quò si veniret Gaspar, nihil erat ex vniuersa supellectile, quod in obsequium Patris non prodiret: mira epularum varietas, ferculorum copia, peristromatum splendor, neque enim profano Sacerdoti quidquam deerat, nisi quòd cum virtute deerant vniuersa. Vna tantùm cum infelici stirpe furiarum turba non comparebat. In ea dissimulatione vtriusque pauci dies abierunt. Pater enim omnium non nescius, se ab eo velut deludi patiebatur, experturus, si quid exemplo suo vel tacitis reprehensionibus leniori curatione proficeret. Quod cum vidit ab eo summa simulatione suscipi, amicas etiam adhibuit ac priuatas correptiones: quas cùm ille composito semper ad fraudem animo vultuque, non altius admitteret quam in aures, nullo operæ fructu vel emendatione; statuit Gaspar ad solita fulgura, diuinum armorum genus, recurrere.

Itaque pro cócione cœpit explicare,

care, quantum ij, quos ad sacrum munus selegit Deus, in se scelus admitterent, si sacrilegis sese amoribus implicarent. Ea concio nimirum non solùm prodidit, sed & crabrones irritauit. Nam licet Gaspar saluum in omnibus honorem quorumlibet cum omni circumspectione seruasset, nihilominus homines sibi malè conscij vitiorum patrocinium susceperũt. Dux facti erat insignis ille amicus Gasparis, qui pro foribus ædis sacræ Gasparem, non ante solitum egredi quam dissoluta concione, cum eiusdem farinæ hominibus præstolatur, ac subitò corona cinctum acriter cum cæteris obiurgat: at speciatim ille ita se procacem exhibuit, vt ad militarem insolentiam præter habitum nihil ei deesse videretur. Nam eò vsque rei processit indignitas, vt à Gaspare licet supplice, & imprudentiæ, si quam admiserat, veniam deprecante, vix violentas manus abstinuerint. Quòd non plagarum metu, sed ex animi modestia se tan-

Modestiæ sua Gaspar contumaces superat.

tum abieciſſet, facilè deinde patefecit. Nolebat enim qualibet ex cauſa cum Sacerdotibus indigenis Xauerianorum præceptorũ memor offenſionem ſuſcipere: nam quæ pro pulpito dicebat, ea teſte populo vniuerſo in ſola flagitia iactabat. Erupit ea res tamen in vulgus, nec paucos offendit tanta hominum palàm impurorum licentia: contrà Gaſparis modeſtia vel admirationi fuit, vel nimia etiam iudicata: ſed illi ſanè inſequentis diei victoria eſt referẽda. Nam poſtridiè Gaſpar eodem è loco maiori etiam libertate, pari ſemper prudentia in idem facin⁹ debacchatur; nec aberat eadem quà prius diſſimulatione heſternus ſceleris patrocinator. Ad quos fortè res eruperat, euentũ rei ſolliciti expectabant; qui fuit, qualem omnes boni & Gaſpar magis cupiebat quàm ſperabat. Tantũ verò ſtimulante Deo verborum fulgura in eius animum penetrarunt, vt iam glaciem & cryſtalli buccellas & faciem frigoris eius, quam nemo

mo sustinere poterat, perfregerit. Emisit enim verbum suum Dominus & liquefecit ea; flauit spiritus eius & fluxerunt aquæ: quas cum ille ex duplici oculorum fonte tota concione laxasset, demum absoluta ad Patris se pedes abiecit, palã vultu in terram defixo veniam de dolo, de vi, de offensione, de vita præterita, Deum, Patrem, præsentes rogauit; cuius deinde vitæ sanctimonia tam insigni pœnitentis animi principio cumulatè respondit.

Non idem fuit exitus, sed planè iusto Dei iudicio infelicior alterius cuiusdam. Præfectus is erat peditũ, ac tanto ratione sui muneris peior, quanto priuati mali lues exempli contagione in plures vulgabatur. Tres ille Saracenas simul pellices in oculis vniuersæ ciuitatis, cum summa omnium offensione, secum quocumque iter pertrahebat; increpationes, admonitiones, cælestium irarum minas, ne in aures quidem, nedum in animum admittebat: sed passim ex ore scelerato blas-

Blasphemus & luxuriosus miles repentè extinguitur.

phemias, quales vix ipse infernus euomeret, sine fronte totos dies, veluti ludibundus eructabat. Non habebant sancti Patris conatus hostē tota vrbe maiorem, qui non solùm ipse in rectas Domini semitas deduci se non pateretur, sed alios etiā quantum posset auerteret. Verùm non diuturna fuit audacia. Ad arcem Monaiam, de qua multa infrà, vnus erat ex impia illa turba, nec postremus; & fortè in agro stabat cum suis militibus sibi semper similis vel in amoribus, vel in blasphemijs, cū ecce sibi derepente (res mira!) nulla ex causa, quæ quidē videri potuerit, in oculis omnium expirauit. Nec eius morte finem cæpit miseranda illa cataſtrophe. Eo ipso temporis momēto aēr hactenus serenus tantam grandinis procellam cum horribili vēto ac fragore, densiq; pulueris nube disploſit, vt dimidiatæ horæ spatio alij alios non viderent, de sua quoque salute propè cum æterna scortatoris blasphemi pernicie conclamatum arbitrā-

tes.

tes. Mors deinde eius, taliſq; mors vulgata pluribus attulit vitã animorum.

His & ſimilibus prodigijs Deus pios Gaſparis conatus proſecutus, nihil non eius opera cõficiebat, pænè vt videretur vel Deus cum Gaſpare, vel Gaſpar cum Deo coniurare. Nam in hoc quidem genere Armuziæ nihilo minora ſunt, quam quæ à B. Xauerio vel Goæ vel Malacæ fuerunt emendata: in hoc etiam Armuziani palmã retulerunt, quòd non ſolùm ſua crimina deſerere, ſed etiam pœnis ſpõte ſuſceptis exſtinguere plane ſunt conati. Eorum plerique qui Gaſparis opera in ſuorum delictorum veneranr deteſtationẽ, non ſatis ſibi feciſſe videbantur, niſi Dominicis feſtiſque ſollemnioribus, quò frequentior eſſet actus, ſeſe acriter pro templi foribus flagellarent. Alij noctu vicatim ad flagella voces etiam addebant pœnitentiæ plenas atque pietatis: nam à Deo miſericordiam, à ciuibus veniam & anteactæ vitæ obliuionem poſtula-

bant. Iam suæ concionis Gaspar, cũ de hoc ageret crimine, fletuum habenas videbatur cùm vellet adducere, cùm vellet remittere; quanquam sæpè laxatis iam frenis, eo impetu prorumpebant, vt non interruptus esset, sed continuus planctus ac gemitus audientium. Deus bone, quantum potest diuini spiritus inflammata caritas! confitentium porrò tanta erat multitudo (quanquam & alibi de his erit dicẽdi locus) vt cùm dies Gaspari non sufficerent, noctes essent insumendæ, defraudato ferè somno: qui cùm trium horarum spatium inueniebat, duabus plerumque contentus benè secum actũ arbitrabatur. Memorabile est in eo genere quod narratur. Viri quidam graues atque copiosi cùm præ multitudine suas vices (quas magna ambitione sibi quisque procurabat) consequi non possent, in lectum se conijciebant, vel in valetudinarium, vbi morabatur, sese deferri curabant, ægritudinem simulantes, vt saltem specie

cie neceſſitatis Gaſparem ad ſe audiendum obligarent.

CAPVT VII.

Feneratitios contractus, & cupiditatem vniuerſam impugnat.

PLerumque faciliùs & feliciùs perficiuntur viciſſim ſingula, quàm per tumultum vniuerſa: ideo expugnata libidinis arce, in alteram cupiditatis neque animo neque euentu diſſimili facit impetum. Variæ in illa arce reperiebantur munitiones, & omne telorum genus: ſed tamen tota vis in ea munitione eſſe videbatur, quam feneratores velut præſidiarij milites occupabant. Eam Gaſpar aggreditur, facilè deinde, illa occupata, reliqua arce potiturus. Quantum porrò in ea ciuitate malum illud inualuiſſet, vix credi poteſt; ipſe quoque Gaſpar negat ſe poſſe ſatis explicare, Armuziamque omnis vſuræ fontem appellat. Et verè feneratores Armuziani tota iam India nobiles erant, veluti doctores, qui ex cathedra peſtilen-

ſtilentiæ non in iure, ſed iniuria & dolo malo prælegerent. Et fortaſſe non illepidè cõiectat Gaſpar, à Domino ex templo olim expulſos flagris, huc confugiſſe, & ad poſteros longa ſerie peſtem iſtam propagaſſe. Tot enim erant ac tanti tamque intricati cambiorum & recambiorum doloſi contractus, vt magno Gaſpari conſtiterit eos diſcutiendi labor; quo nihilominus nunquam efficere tantum potuit, vt hanc ſentinam exhauriret. Ad extremum Iudęos inter & Chriſtianos, Saracenos ac Gentiles vix alia erat viuendi ratio, quàm ea quam commemorabo. Decem pardaos (Indici numiſmatis genus duorum ferè Flandricæ monetæ florenorum) mutuos dabat vnus aliquis; ex eo mutuo toties tortus ac retortus per fas ac nefas fructus ad poſſeſſorem redibat, vt anno integro ſeipſum ſuſtineret, viua ſemper ac integra ſumma capitali decem ſuorum pardaorum. vulgò enim ex hoc infelici ſemine cẽteſimus exacto anno fructus colligebatur. Vt

Vt huic tanto tamq́ue publico latrocinio Pater occurreret, ad ceteras conciones quas de hac re quoque instituebat, aliam, in more lectionis, cathedram cathedræ opponens, quoque Sabbatho de auaritiæ partibus ac peccatis adiecit, idq́; in Ecclesia maiori trimestri ferè spatio, quo toto tot sacrarum litterarum doctorumq́ue grauissimis testimonijs, tot rationibus & exemplis, & quod in omnibus caput erat, & illi sollemne, tam assidua diuini fauoris imploratione hostem suum iugulauit, vt hæc vna res fuerit, in qua potissimum Armuzianorum fructus constiterit. Ad eum explicandum accingamur. Locus erat ciuitati iũctus; locus, in quo dolus malus, iniustitia, ceteręq́ue Orci pestes videbantur sedem posuisse. locum illum Bazar vocant: quod nomen quidam putãt ad lapillos illos Bazares, quibus aduersus venena vtimur, quòd eorum in eo emporio frequens esset commercium, transijsse; eosdem nihilominus alij nomen ab Hebræis dua-

Gaspar lectionẽ de Iustitiæ virtute vtiliter instituit.

duabus voculis malunt deduxiſſe: Baal, quod eſt dominus, & Sar, venenum, quaſi veneni dominus; quæ duæ voces in vnam cum aliqua immutatione, vt ferè aſſolet, coaluerint.

Eum igitur ad locum prima luce, æſtus cauſa, negotiatiores omnes, quibus prima cogitatio erat de lucro & quæſtu, confluebant; atque ibi gentiles omnes, Saraceni, Iudæi, & Chriſtiani, quas tota nocte fraudes ſomniarant, artificiosè promiſcuè contrahēdo texebant. Sed poſtquam è Gaſparis diſciplina doctiores & exhortatione meliores euaſerunt, prima euigilantium cura erat, Miſſæ ſacrificio decenter intereſſe; tum demum his armis inſtructi in Baſar concedebant, atque omnium erat cura in fraudibus & dolis iam non texendis, ſed retexendis; frequens ibi concertatio, afferentibus alijs, alijs negantibus contractū eſſe nefarium, quibus ſola Gaſparis auctoritas erat pro oraculo. ad eum frequenter appellabāt, & quidquid dam-

damnatum ab eo fuerat, id totũ rescindebatur. Itaque Basar iam potiùs erat differentium scholasticorum schola, quàm contrahentiũ negotiatorum locus, quos asserit Gaspar ea in materia tantum nosse, quãtum ipsi debeant scire Sacerdotes. Nec philosophãdi ratio in solo sermone constitit aut discursu; nam supra quam, quòd ea per scelus negotiandi ratio pænè sublata est, ingentes factæ sunt malè partorũ restitutiones; quæ cùm nonnunquam fierent ipsis Saracenis, Iudæis, aut Gentilibus, illi non satis poterant admirari, cùm cernerent ea sibi tanta fide ab ijs reddi, qui nuper in eadem tanta cupiditate inhiabant. Et sanè præter eam summam, quæ suis dominis reddebatur, quæ erat longè maxima, ea cuius possessor ignorabatur, simul cum ea quæ eleemosynæ nomine profundebatur, trium annorum decursu ad viginti pardaorum millia excreuit, præter ea quorum ratio per occupationes aut incuriam inita non est. Ea summa Gas-

Mercatorum in inquirenda iustitiæ studium.

Gaſparis arbitratu, virginibus in matrimonium collocandis; ædibus Sodalitij, cui à Miſericordia nomen indiderunt, inſtaurandis vel augendis; valetudinarij ſuppellectili & alias in res pias expendebatur.

Hic erat vulgaris in omnibus fructus: ſed nonnulli ſe ſupra ceteros extulerunt. Negotiator quidam erat copioſus: is iam doctus fortunas omnes animæ ſaluti poſtponere, cùm in morbum incidiſſet, Gaſparem accerſiuit, ac priuſquam cõfiteretur, in hęc ferè verba, vt refert Gaſpar, eſt præfatus: Ego, mi Pater, ſum omnium mortalium nequiſſimus; nihilominus dum adhuc poſſum, cupio ex animo ſaluti meæ cõſulere. Hactenus nunquam ritè ſum confeſſus; in parata pecunia tria millia pardaorum poſſideo, quæ ecce ad pedes tuos abijcio. inſuper aliæ ſunt opes meæ & magnæ; nauis item. vitæ ſtatus eſt iſte & iſte. Hæc omnia mea, ſed & corpus meum & vitam hanc in tuas manus trado, & in bilance conſtituo; animam porrò meam

Egregia mercatoris conuerſio.

meam ex altera lancis parte ſtatuo: te itaque in nomine Domini rogo & obteſtor, vt quidquid ſaluti meæ iudicaueris cõuenire, id facias abſque vllo doloris ſenſu, vel cuiuſlibet rei habita ratione. Quòd ſi quid ad ſalutem meam defuerit, ego ex tua parte deeſſe proteſtor: nihil enim, ad me quod attinet, eſt quod excludam. Ita ille; animi verè contriti exemplar. Neque hunc ſolum eiuſmodi fuiſſe putes; Gaſpar ait multos eoſque ditiſſimos extitiſſe, qui eadem propè verborum formula vterentur. Neque verbis erant liberaliores quàm rebus; ſæpe vnus atque idem octingentos, alius ſexcentos pardaos plus minuſve vnica reſtitutione poſſeſſori refundebat. Plerumque antequam ad expianda crimina accederent, ad Gaſparem cum ingentibus rationum ſuarum voluminibus veniebant, vt quidquid incurriſſet dubietatis enodaret. Alius fuit, cui nõ ſufficeret male parta reſtituere, niſi etiam de cetero fortunas omnes ſuas & omnem

nem negotiationem è Gaſparis arbitratu diſponeret. Is ad eum acceſſit, ac interpoſita diuini nominis auctoritate obteſtatus eſt, vti poſthac familiæ, coniugis, filiorum, fortunarum adminiſtrationẽ ſuſciperet; cui cũ ſuauiter arriſiſſet, Atqui, pergit ille, teſtor Deum, æternã perniciem meam, Pater, ſi fortè ita contigerit, tuam fore: atque ita neceſſariò Gaſpar expiatis ſacra confeſſione omnibus, & auditis antepartorum rationibus, negotiandi poſthac & viuendi rationem præſcripſit. Et in his omnibus nihilominus Gaſpar (quod eſt difficillimum) nominis ſui integritatem ab omni etiam ſuſpicione vindicauit. Quãta porrò fuerit fidei eius & cõtemptus opum opinio, non aliàs magis patuit, quàm cùm à primarijs rogatus eſt, vti ærarij regij clauem alteram cum præfecti claue communem ſuſciperet: quam rem ille ſanè velut ab inſtituto alienam, &, vt ipſe dicebat, vilem nimis & abiectam conſtanter à ſe reiecit.

Suſtu-

Sustulit quoque quam aperuit impiorum hominum fraudem. Ij ne mali viderentur, ad Gasparem quoque ventitabant, contractuum suorum tabulas examinandas ostendebant; sed ne vsura pateret, ita concinnabant, vt mutuum vnà cum lucro mutui coniungerent: efficiebant enim, vt qui mutuo indigebant, coram Notario publico tantum se debere testarentur, quantum supra capitalem summam inter vtrumque conuenerat. sed ea res cùm Gasparem diu latere non posset, pro concione in eam inuectus Notarios quoque ipsos vt particeps iniusti lucri & fenoris accusauit: satis fuit ad emendationem fraudem aperuisse; iam enim Gaspar à sua concione omnia impetrabat. Verùm antequam ex hac materia discedamus, supererat contractus vnus nefarius, & sæpè sacris legib⁹ etiam interposito anathemate interdictus. Is erat sulphuris, armorum, & id genus rerum cum Turcis & alijs fidei hostibus commercium,

vulgò

vulgò id ne in crimine quidem habebatur, Bullæ cœnæ Domini vel ignoratione vel contemptu. Itaque in ea quam de auaritiæ partibus habebat sacra lectione, & passim in concionibus acerrimè in illud nefarium commercium verba facere cępit. fructus fuit, qui solebat: multi pœnitentię Sacramento ipsi Deo, restitutione proximo satisfecerũt. At verò quoniam eiusmodi sceleris reos vel in corpore vel in ære luere sacræ leges iubent, & res difficultatem haberet maiorem, quàm plerique ignari Sacerdotes à quouis crimine absoluentes existimarent: Episcopum Goanum super hac re cõsuluit, qui potestatem suam omnem cum eo iterum communicãdo, amplum & virtuti & prudentiæ perhibuit testimonium, id se ratum habiturum professus, quod ad animarũ salutem, & Canonum obseruantiam Gaspari accommodum videretur.

CAPVT

CAPVT VIII.

Inueterata odia tollit.

ATQVE ita euulsa tũc est Armuzię radix malorũ omniũ, cupiditas, è qua sępe prodire solet alius quoque pestilens dissensionis odijque truncus, qui ferè solet ex aliquo nobis illato damno, vel damni opinione proficiscì. Vnde aureo illo Ecclesiæ nascentis exordio, cùm cupiditas apud fideles maioris non esset, quàm vt ad Apostolorum pedes abijceretur, nec esset Meum ac Tuum: tum etiam in omnibus verò amore beneuolẽtiaq; coniunctis non erat nisi cor vnum & anima vna. Hodie autem ferè quod in cordibus incensis cupiditate gestatur, manus ferro, odio pectus mortalium armat. Itaque cùm Deus Opt. Max. ita potenter sui serui opera cupiditatis ignem Armuziæ præfocasset, voluit quoque eandem ad pacem concordiamque reuocare, finem litigijs imponendo, præcidendo rixas, iniurias condo-

nando, dissentientibus inter se con-
ciliandis; & hoc ferè luce palàm,
sub finem doctrinæ Christianæ, sub
exitum concionis pro foribus ædis
sacræ; idque tanto sæpe sensu, vt
manantibus vtrimque lacrymis, ge-
nibus positis, alter ab altero veniã
peteret, dexteram daret, rueret in
mutuos amplexus. Ea res infinitu
esset ac etiam tædiosa sui similitu-
dine, si in singulis hæreremus. Tri
tantùm commemorabo, quibus i-
psa Dei manus prodigiosè interue-
nit.

Fuit vnus aliquis ex ijs, qui mili
tiæ præerant, vir nobilis quidem sa
guine, sed idem parum peritus, i
quo vera nobilitas sita esset, quan
ipse totam in animi peruicacia, vi
cisci quique nec vnquam quidquam
tolerandi parcendive volũtate sta
tuebat. Idem nihilominus ceteri
ita molestus erat, vix vt reperiri to
ta vel arce vel vrbe posset, cui no
iniurias deberet; quas cùm tolle
satisfaciendo nollet, læsi vindic
res suas repetebant. Itaque horre
bar

bant eum cuncti, multi etiam persequebantur. Cum eo multum sudauerat Gaspar, sed incassum: quieta ciuitas erat quando aberat; eo reuerso armabatur vniuersa. Hoc die quodam cùm ita contigisset, Quis mihi dabit, ait Pater, tangat hunc iusta Dei manus vehementi aliqua ęgritudine, vt mansuefiat atque animus curetur? Mira res! vix dum bene protulerat, sed solùm optarat, cũ eodem temporis momento, quod fuit obseruatum, abfentem illum maligna febris inuadit, & breui eũ insolito æstu in eas redegit angustias, nihil vt aliud clamans vrgeret, quàm Patrem ad se vocari, ne sine confessionis Sacramento moreretur. Accurrit Pater, hominem parat, confitenti aures dat; ille verò se Patri totum suasque res permittit vniuersas. Cessauit deinde febris, facilè accessu discessuque ostendens, & à quo, & quorsum esset immissa. Ergo Pater hominem manu prehensum è lupo iam ouem tota vrbe volentem circumducit,

Optat morbum corpori Gaspar. vt animo medeatur. Deus annuit.

veniam palàm petentem, & pacem inimicis offerentem: quorum aliqui eo ipso tempore ab ijs reperti sunt sclopetis, vt vocant, armati, ac sine dubio displosuri, si fortè intra iactum peruenissent. At tanta fuit vis vel in Gasparis auctoritate, vel in abiectione demissioneque supplicis, vt ne vel vnus exstiterit, qui nó in vicos exsilierit, passis vlnis supplicem excepturus, & ei lachrymas gratulaturus, cuius sanguinem modò sitiebat. Itaque in posterũ solus & inermis, qui non satis tutus erat antè cum socijs atque armis, tot passim vrbe incedebat. Sed alter caro constitit sua peruicacia, nec secura fuit illa eius qualis pœnitentia: in magno tamen Dei beneficio reponendum, quòd omnino negatiõ fuerit, prout tam dira contumacia merebatur.

Non minùs erat arrogans & ferus ac iste, de quo dictum; quem etiam similiter subita afflixit ægritudo tantorum flagitiorum sumptum vindictam. Gaspar, vbi audiuit, gra-

rus captare tempora, ad eum adit exploraturus an ab ægro posset quod à sano non potuerat impetrare, vt nempe in gratiam rediret cum inimicis. Itaq; officij hominem sui monere, commoda & incommoda vtrimque comparare, Christi exẽplum proponere, cui iam morituro nihil erat antiquius, quàm vt interfectores suos, quantum ex sua parte poterat, Patri cõciliaret; meminisset venisse iam horam, in qua contractus tales à quolibet sine dãno cum fructu etiam ineantur; odiũ itaque dæmonis proprium in eam pacem, quam Christus in mundum intulit, commutaret. Qui aderant cum Gaspare, lacrymari vniuersi, cupere aliquid esse sibi quod condonarent: solus ille superbus & contumax ardere magis iracundia quàm febre. Faceſſat, inclamat, quẽ neque videre possum, neque audire volo, addiditque tot ac tantas blasphemias, vt ad eas scribendas calamus perhorrescat, quas impio illo epiphonemate cõcludens ait: Nol-

Odium deponere nolenti prædicit Gaspar serã pœnitentiã.

le se nisi vltum, cælum ingredi, neque veniam à Deo suorum criminum impetrare velle, si eam necesse sit iniuriarum condonatione comparare. Non tulit vltrà Pater impudentiam, sed iam velut entheatus, ac publicus diuinæ iustitiæ minister, sic est vaticinatus: Ita sit omninò, vt dixisti; atqui scito certò, te antequam crastinus ad meridiem protrahatur, sæpius quàm quinies cui confitearis, inclamaturum, neque tamen iusto Dei iudicio habiturum; ac deinde hominem tam acerba denuntiatione nihilo meliorem deserens egreditur. Dies sequens eluxit, & prædictioni fecit fidem. nondum enim præfixa hora aduenerat, cùm miser eò iam ingraueſcente morbo deuenit, vt cum morte luctaretur: quare ad se rediens, cùm sæpe Patrem inclamaret, neque is vel alius quispiam Sacerdos ad manum esset, antè exspirauit, quàm adesse potuerit. Habita res ab omnibus fuit supra naturam, vt illa quoq; quam iam referemus.

Lusi-

Lusitanus erat vir in paucis potens, sed idem ita ferox & crudelis, vt auctoritate sua opprimeret vniuersos; verus tyrannus, quem proinde oderant ad vnum omnes, & liberrimè de publica eius animi impotentia obloquebantur. Multum operæ posuerat Pater, vt eum è vitiorum cœno educeret: sed haud paullo in Patrem quàm in ceteros mitior, tantam monitus concepit indignationem, vt se publicum seruiúque Dei iuratum hostem profiteretur. quæcumque ille generatim vitia carperet, sua priuatim carpi criminabatur: quod ijs est proprium, qui vel ipsa teste conscientia se priùs ipsos, quàm ipsi qui verba faciunt produnt atque damnant. Eam porrò ille inibat viam, vt veram iustamque scelerum suorum reprehensionem posset, velut à priuata simultate ortam, criminari. Sed non potuerunt hi odiorum torrentes Gasparis in eum exstinguere caritatem; sicut è contrario Patris in eum officia

Obduratum precibus suis ad pœnitentiam adducit Gasp.

amoris vel scintillam excitare: sed vicissim vincebat Pater in bono malum, ille in malo bonum. Et tamen, quod satis Gaspar aduertebat, permagni referebat illum homine conuerti. Itaque ab homine ad Deũ conuersus sperauit, se citiùs posse diuinam in impium iram, quàm hominis in se odium placare. Mutato igitur consilio, acres eius causa suscipere pœnitentias, flagellationes, ieiunia, cilicia, noctes in oratione peruigili traducere, sanctissimum Missæ sacrificium pro eo offerre, in horas singulas ad Dominum sæpius eius causa exclamare, vt quoniam ipse bonitas ac pulchritudo esset immensa, ab ea se anima faceret amari, quæ, vt erat cæca, tantam detestari non cessaret. Nouem totos dies hanc rationem tenet, quibus expletis, durus ille admirabili ratione, non pro suis meritis, sed Gasparis honore, benignè à Deo est emollitus. In lectulo quiescens, sub secundam à media nocte horam ante se Gasparem ipsum vidit, cùm tamen

Gaspar Angelo comitatus decũbenti apparet.

men ianuas omnes clausas esse constaret; vidit item & ita splendentem, & suauissimum manibus præsertim ac vultu odorem spirantem, vt lumine & odoris suauitate tota domus repleretur: vnde facilè apparebit aliquid esse diuinum. Aderat quoque species alia ad Gasparis latus, quæ nescio quem referebat; vero simile est Angelum vel hominis vel Gasparis fuisse tutelarem, qui sic eum est affatus: Quid agis peccator? quid moliris? quorsum Gasparem tantoperè horres, ac dubitas illi animæ tuæ salutem committere? an non vides, quanto eum decore Deus ornauerit. Euigilauerat iam nobilis, ac sibi bene præsens erat; itaque cùm se, visis auditisque permotum, in eius amplexus promoueret, subitò disparuit, nec manus aut oculos magis, quàm cor iam exultatione gestiens, est frustratus. Mansit tamen, qui iam locutus erat, atque ita sermonem prosequens eum consolatur: Ne credas Patrem ita te fugere, vt ipsum hactenus tu

ipse fugisti; hac enim ipsa hora se ad sacrificandum in nosocomio infirmis parat, ibi eum es prima luce reperturus. atque ita hic quoque ex oculis abijt. Reliquam ergo noctem ille in continuis fletibus, & eius videndi desiderio, quem aliquando tantoperè exhorruerat, consumpsit. Missam manè nondum perfecerat, cùm eum nuncius ab amico iam suo exspectabat, rogaturus vt sui percupidum accederet. Gaudio perfusus Gaspar è vestigio adit: quem vt vidit, vocem extulit, abiecit se ad pedes, multa animi ritè contriti edens argumenta. Post hæc confessionem de tota vita instituit; ea de causa aliquot se dies remotis arbitris colligens, quibus peccatorum consideratione aptisque commentationibus è Gasparis præscripto ita profecit, vt iam modestia, suauitas, patientia, zelus diuinæ gloriæ, ceteræque virtutes eum ignotum, quia sibi dissimilem, redderent; sed in caritate potissimùm in pauperes misericordiaque excel-

excelluit, quibus paucis diebus supra quinque aureorum millia distribuit. Multa alia præterea eidem cum Patre admirabilia interceſſerunt (vt ait Gaſpar, rem velut de alio modeſtiæ cauſa narrans, vt alibi ſum dicturus) quę, ne quis eſſet aperiretur, reticebat: ſed tamen, inquit, ſcientur aliquando. Ea ſint alicui nota necne, hactenus mihi eſt incõpertum; quæ comperta fuerunt, cũ omni fide narraui.

CAPVT IX.

Militaris inſolentia pietatem Armuzianam interturbat.

ITA Deus Opt. Max. ope Gaſparis Armuzianam pietatem promouebat. ſed neque humani generis hoſtis licet toties iam victus ſibi defuit, quem ideò ſæuire tantiſper permiſit Deus, vt tanto ignominioſius deinde fugaretur. Indiæ Prorex Garcia de Saa Armuziam in hiberna ducẽtos milites amãdarat; ſed illi præſidio Satanæ, nõ ciuitati

fuerunt. Mirum, quãtum sanctimores ciuitatis, populiq; pietas ex eorum aduentu cœperit detrimentũ. Adiunxerunt se isti, vt facilè fit, cũ alijs, qui eadem in insula hibernabant. Et ecce tibi mox contumeliæ, rixæ, prouocationes, velut ab inferis excitatæ, summo impetu surrexerunt; ludus item, & cum eo iurãdi peierandiq́ue consuetudo; libido quoque, ac vsuræ, & ceteræ pestes ciuitatis. Interim supplicantium cohortes rarefieri in sacris ædibus, æstu iam confluentium sese remittente, aperiri vada, ipsa sacramentorum frequentia iam infrequentior esse cœpit. Denique rursum Orci legebat oram miserè fluctuans insula, à qua suauis gratiæ Zephyrus & S. Spiritus flatus, tanta eam benignitate remouerant. Gaspar interim zelo ardere, pro concione tonare, non die, non nocte somnum capere, arguere, obsecrare, increpare cum omni patientia & doctrina, in oratione crescere, in seipsum propè sæuire, & suorũ vires ab oratio-

tione & pœnitentia in auxilium adscifcere: sed quantum ille vna hebdomada summa ope perfecerat, tantum ope suorum dæmon hora vna destruebat. Conatus est apud Præfectum Emanuelem de lima, vt eos è ciuitate velut pacis & quietis publicæ perturbatores exturbaret: sed maioris mali seditionisque metus, istud quoque consilium deturbauit. Ad extremum, vt grauibus malis grauia sunt quoque adhibēda remedia, consilium hoc à necessitate mutuatur.

Consulto ad pōpulum de vero in proximos amore verba facit, declarat quanto hic amor nos astringat magis, vti proximo spiritualia salutis æternæ quam temporalia fortunarum, honoris, ac etiam vitæ bona procuremus; vnde licitum imò sanctum esse, nonnunquam optare & à Deo petere, vt harum rerum iacturam aliquam faciant, siquidem ad bonorum spiritualium possessionem adeundam ita necessarium esse videretur. Vbi demum satis hanc

Militibus flagitiosis temporale malũ à Deo flagitat Gaspar, & exauditur.

materiam grauibus sententijs, exexemplis, sacrarum literarum testimonijs confirmasset, magno animi ardore ac impetu Deum ipsum apostrophe aggressus, sæpius illud propheticum iterabat; Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine: lacrymisq; perfusus diuinam iustitiam sed magis misericordiam identidem implorabat, vti eas animas quæ tanta pertinacia se cæterosq; perditum ibant, omnemque in medendo suauitatem respuebant, pharmacis curare acrioribus, secare, truncare, ea potissimum in parte, qua maximus cuique doloris erat sensus, dignaretur, siue ad honorẽ ac famam, aut fortunas, imò & ad ipsum corpus attineret; infamando, deprauando, amputando, mutilando, mactando, si ita illorum saluti expediret. hac enim ratione sese inspicientes sine oculis aut manibus ingredi cœlum forsan posse; quod certè melius foret, quàm sanos & integros in tartara demergi. Mira erat in ipsa cõcione,

& ea-

& eadem propè quæ in oratore animorum commotio; frequens eam totius oris coloriſque mutatio prodebat: ſed nihil eos ita conſternauit, quàm cùm in peroratione ſummo animi ſenſu rogantem eum audierunt, vti ex vero in proximũ amore zeloque, cum magna attentione & intenſione, ter orationem Dominicam & Salutationem Angelicam in eum finem recitarent, vt has meritis, aut qui opus haberent pœnas & alias temporales quaſlibet ad animi ſalutem impetrarent.

CAPVT X.

Militum inſolentia repreſſa & acriter à Deo punita.

NEC vana fuerunt concionatoris vota, vel cõcionis preces. breui in oculis toti' inſulæ Deus hæc piorum vota ſuo calculo cõprobauit. Monaiamum arx erat in continenti Perſidis Armuzianæ ditionis: eam arcẽ Saraceni, qui in præſidio erãt, hoſti ſubitò nemine vel ſuſpicante tradiderant. Perfidia

dia Regi Armuziano tanta, grauis admodum & acerba fuit; suorum ergo 5000. armat, Lusitanos quoque auxiliares ex fœdere à Præfecto petit, & 400. impetrat, quo in numero ducenti illi Armuzianæ pietatis euersores exstiterunt; reliqui nihilo meliores. Huic expeditioni pro Lusitanis præfectus est Pantaleon de Saa, qui ad Patrem valedicturus, & felicem apprecationem accepturus cùm veniisset, antequam insula solueret, ab eo accepit infelices illos quidem, sed meritos huius belli euentus. Nam antiquis suis sceleribus hoc quoque addiderunt, vt cùm Gaspar summo conatu perficere conaretur, vt saltem cum Deo in gratiam redirent, salutari pœnitentia expiati, qui pugnaturi, imò morituri discedebant, viginti ex ijs non plures dicto audientes fuerunt; ceteri hæc sancta paternaque Gasparis monita risu & iocis exceperunt, ac si ex eorum essent fæce, de quibus Isaias: percussimus fœdus cũ morte, & cum inferno fecimus pactum:

Prædicit belli euẽtũ Gaspar.

flagel-

flagellum inundans cum transierit, non veniet super nos, quia posuim' mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. In Persiam itaque venerunt, arcem cinxerunt, tormentis quassarunt, impetum fecerunt, sed ita infeliciter, vt ab arce citius se subducerent quam venissent. Nonnulli tamen in pœnam flagitiorum occubuerũt, centum vulnerati, cæteri pudore & ignominia pleni redierunt. Mors deinde diuinæ iustitiæ ministra in castra subijt, & repentè multi pestifera lue correpti; ex ijs ad 50. perierunt. Iacebant ab omnibus omnes destituti auxilio & solatio viui, mortui sepultura. & hæc pestis improbos illos dumtaxat inuasit, Saracenorum qui plures multò erant, neminem; ne quis vindictam esse diuinam dubitaret. Itaque iam serò sapientes Gasparem inclamare, sani metu impẽdentis, ægri etiam sensu præsentis mali cœperunt, quorum vicem miseratus Præfectus Pantaleon ad Gasparem flebiliter scribit, necessita-

sitatem explicat, auxilium postulat.

Eæ litteræ mirum quam Gaspari acerbę fuerint, non tam mali commiseratione, quod ipse ad salutem animorum videri poterat accersisse, quàm quòd per Xauerium, vt antè dixi, non licebat ei subuenire. neque enim extra insulam pedem ferre toto triennio poterat. Itaque amicissimè respondens eos ad reditum inuitabat, experturos quàm non subterfugeret laborem; sed insula excedere præcipiētium auctoritate vetari. Interim missi sunt alij 200. in auxilium, qui cùm eo venissent, atque extentam adhuc Domini manum vidissent, retrò arce certis inducijs deserta Armuziam redierūt. Ea in obsidione mirabilia multa contigerunt, ac inprimis subita mors blasphemi scortatoris, quam suprà retulimus.

In reditu verò omitti non potest editum in militem diuinæ benignitatis exemplum. Hic in medio cohortis prauæ pietatem colebat, animum-

mumque in bellum profecturus, quod frequenter faciebat, expiarat; ad hæc Beatæ Virginis pensum horariũ recitare consueuerat. Nec tamen communis propè omnibus lues eum exemit; leuiùs tamen ægrotabat. Itaque in equo rediens, vel itineris labore, vel ingraueſcẽte morbo à sensibus alienatus, subitoque deficiens ex equo cecidit, nemine aduertente; sibi deinde redditus frustra socios equumque requirit; perrexit tamen, atque illos post triduũ est assecutus. Vrgebatur interea fame, periculis omnia erant plena: Ergo B. Virginem patronam precibus aduocat. Et ecce nõ modo in Saracenorũ terris latrocinijs sequentibus infestis non adijt discrimen, sed etiã remedium plane prodigiosum famis inuenit. Siquidem in palmetum deueniens (cùm tamen constaret toto illo tractu & procul palmam nullam reperiri) palmam conscendit, dactylis & ventrem, & prouidus in futurum, etiam sinum repleuit. Inde cùm descen-

Miles B. Virg. deuot⁹ palmetum diuinitus in fame inuenit.

scendisset, in Saracenum incidit, à quo, vbinam essent Franques, percunctatus, (ita enim illi Christianos appellant, ex eo fortè tempore, quo Ludouico Rege Francorum & alijs terram sanctam recuperaturis, in vicinis terris diu constiterunt) mox de ijs edoctus, tertio die ad ceteros incolumis peruenit. Stupuêre tam inusitata diuinæ benignitatis demonstratione vniuersi, & cum milite pietatis in se Matremque suam remuneratorem Deũ collaudarunt. Enimuerò quàm ea esset rara in viro præsertim militari, docuit ad suos redeuntes querimonia, qua omissum horarum pensum Beatæ virgini persolui solitum conquisito ad id libro ante omnia deplorabat. Verùm ad cæteros reuertamur. Stabant tũ in arce quadã Armuziæ vicina vniuersi, quã & breui proinde tenuerũt, tamẽ alij ab ijs qui discesserant, qualesq; eos optauerat Gaspar. nã præter vnam confessionem vnũ Gasparẽ inclamabant nihil. Ille verò in littore cũ suis eos iamdiu

expe-

exspectabat, vt suis vlnis parens improbos filios in nosocomia asportaret. Hoc sedulò primum ab eo comitibusque curatum; inde pharmaca, cibi, aliaque emendicata: sed animorum tamen quàm corporum cura fuit antiquior. Quapropter indigenas omnes Sacerdotes iin auxilium euocat, satis gnarus, se in extremo multorum discrimine vnum sufficere non posse vniuersis. Sed tanta fuit pœnitentium in Gasparem, atque adeò nimia pietas, nulli vt eorum persuaderi potuerit, peccata vt alteri aperiret; atque in eo tam erant obstinati, ac si omnes in vnum conspirassent. Incredibilis fuit hæc & inopina Gaspari afflictio, quòd cùm se illinc plorantibus, illinc confessionem inclamantibus, illinc exspirantibus cinctum videret, quanquam omnes æquali caritate complecteretur, non æquè omnibus poterat auxiliari. Itaque explicare cœpit parem esse in hac extrema necessitate Sacerdotum omnium potestatem; debere quemque

que ſtudiosè operam dare, ne cum ſua graui culpa Confeſſionis inſtituendæ occaſionem eo in diſcrimine amitteret. Sed incaſſum. omnes vno ore aſſeruerunt, ſe abſque confeſſione morituros potius, quàm alteri à Gaſpare animorum ſuorum latebras & noxas aperiant. Et apparuit hoc quoque fuiſſe vel diuini furoris telum, vel nouam dæmonis fraudem, vel vtrumque, vt indigni fortaſſe venia, nonnulli abſque ſpe veniæ morerentur. Et ſanè ita contigit. nónulli enim magno Gaſparis luctu priùs expirarunt, quam ſe expiarent. Ita ſeueriora nonnunquam iudicia exercet Deus, vt qui noluit cum potuit, cum voluerit, non poſſit ſalutis remedia adipiſci.

Ea res nihilominus aliquos è Sacerdotibus, ſed quam iniquè, quiuis iudicet, in Gaſparé commouit: ille verò nihili rumuſculos faciens, op' ſolus aggreſſus, quo potuit pacto & ordine infinitum laborem cœpit exhaurire. Confiteri de vniuerſa vita volebant, aut etiam debebant ple-

plerique; socius cœli Armuziani, cuius causa iam ter vitæ periculum adierat, impatiens, Goam incommodo maximè tempore dimissus fuerat; omnia ergò vnus obire cogebatur, quod accuratè perficere plurimi vix potuissent. Alij enim ad mortẽ salutari Sacramento expiandi erant; alij eodem tempore in ipsa morte Gasparis verbis excitandi, aut salutari vnctione ad diram luctam cum morte & dæmone cõparandi. Neque is nihil eo tempore, quo erat in Gasparẽ odio, tentauit. Nam tot è faucibus, illius ope sibi eripi non ferens prædas, per phreneticum quempiam hostem suum perdere cogitauit. Siquidem cũ ex illius manu nescio vnde arreptum gladium, quo se tollere parabat, cũ alijs aliquot extorsisset Gaspar, sibi mortem quã ab illo auerterat, propè consciuit. Etenim conuerso in Gasparem furore, ita prehenso strinxit fauces, vt absq; diuino & adstãtium auxilio de vita eius esset conclamatũ. Eo magis recẽti beneficio

Gaspar per phreneticum dæmon conatur suffocare.

ficio incitatus Gaſpar, nocturnis & diurnis horis, laborem vrget; his aures, linguam illis, manus denique alijs & operam accommodans. atq; ita menſem vnum diuinis ſolatijs recreatus exegit.

Hiſce rebus diuinæ, Gaſpariſque gloriæ magna acceſſio facta eſt, cú præter ea quæ iam commemorauimus, alijs adhuc prodigijs cæleſtibus geſta eius illuſtriora euaſerint; quibus effectum, vt ſpe deuorata præda è tartareis faucibus in ſalutem benè multa eriperetur. Sæpè ibi inter confitendum ægri, cum animi ſanitate morbis corporis depulſis, etiam corporum obtinebant; quare & pietas in priſtinum ſtatum cum fenore reuocata.

Miracula.

Arx recuperatur precibus à Gaſpare inſtitutis et ſupplicatione.

Sed reliqua erat arcis amiſſæ cura, quæ animos omnium coquebat etiam Gaſparis. Ergò cum probè ſciret, hæc omnia ſceleribus noſtris non hoſtium viribus accepta referenda, vbi ad ægrorum animis corporibuſque curandis reſpirauit, ſtatuit ipſe quoque cum ſuis in aciem pro-

prodire, & non cum Persis, sed cum ipso cęlo, vnde victoria sperari poterat, confligere. Quapropter pias in vicinum ciuitati (dimidia ferè leuca aberat) Deiparæ sacellũ supplicantium cohortes educit. Clerus populusque nudis pedibus incedere, multi etiam acriter in seipsos flagellis sæuire, vniuersi clamoribus & lachrymis diuinam misericordiam implorare. Ea sub noctem instituta, in mediam ferè noctem producebantur. Nam ibi Gaspar tãto audientium sensu verba faciebat, vt aliquando contigerit, dimidiæ horæ spatio collacrymantium omnium vnam in cælum tolli vocem: Domine Deus, misericordia. Nec surdus ad has voces fuit Dominus. Sub idem ferè tempus, quo hæc fiebant, breui fama Armuziam venit, arcis sine sanguine æquis legibus redditæ, & agnouerunt vniuersi, homines hominibus, cũ illi Deo perfidi vel fidi fuerint, fidem violare vel seruare. Cetera cum Christianis piè vel admirabiliter gesta, in

finem huius libri, tum quòd cum his nonnulla communia, tum quòd sub discessum eius Armuziâ contigerunt, coniecimus.

CAPVT IX.

Quid cum Hæreticis, Schismaticis, Apostatisq; perfecerit.

VENIAMVS iam ad eos, qui fide sunt propiores, quanquâ impietate fortasse cæteris omnibus superiores. Ij sunt Schismatici atque hæretici, & impij desertores. Erant Armuziæ ex Schismaticis isti ferè: ex Africa Abyssini; ex Asia Armenij & Georgiani; ex Europa Græci, Moscouitæ. Ex hæreticis Europæi non pauci, Germani, Russi, Poloni, Hungari, & si quos alios infelix pertinacia longiùs à veritate, quàm inexplebilis cupiditas à patria proscripserat. Nonnulli etiam erant, quos sua fortuna varijs ludens casibus in Persiâ Turciâq; aduexerat. Ac in Persidequidē, quoniam qui ibi sunt Christiani, non minùs quā Turcæ decimum

mum quemque filiorum tributi nomine persoluunt, multi erant è Christianis oriundi, multiqúe Armuziæ pro seruitijs vendebantur, quos Gaspar Ecclesiæ cõciliabat, & Goam ad D. Pauli Collegiũ, si quidẽ ire vellent, submittebat; sin verò, efficiebat, vt Christiani quòd essẽt, libertate donarentur. Cum horum similib⁹, quos Turcæ Ianiseros vocant, eodem modo se gerebat; cum Abyssinis porrò paullò aliter. Nã illos, quia baptismus eorum non satis tutus videbatur, baptizabat; Armenij quoque non deerant semi-Turcæ semi-Christiani, quibus hoc sollemne, vt viuant illius in quam fortè venerint regionis ritu. Magnam tum vitæ austeritatẽ colebant, vt adhuc antiquorum illorũ asperitatem ad posteros vsque transmissam exhiberent. Ex ijs multos ad Ecclesiam salutemque reuocabat, conuictis primum erroribus & cõfutatis; nec nullos Apostatas Italos aut Græcos ex Turcia transfugas ad Ecclesiæ castra & verum ani-

marum Ducem ac Pastorem reduxit, in quibus Genuensem, quia eiurata fide sub Turcarum Imperatore meruerat. Hic Deo miserante resipiscens, Armuziam Gasparis causa excitus venit, & fortunarum omnium fecit iacturam, ne animæ suæ detrimentum pateretur. Ergo à Gaspare benignè exceptus, deinde Goam vt Ecclesiæ redderetur, dimissus.

Gaspar hæreticos multos cõuertit.

Hęreticos si quos fortè nanciscebatur, ea potissimum ratione fidei naufragio eripiebat. Amicè domi exceptos & humanitate deuinctos eorum primò emungere errores, argumentis deinde sacra dogmata astruere, inprimis vitæ sanctimonia; quò fiebat, vt priùs inueteratos deponerent errores, quàm limine excederent. Et contigit aliquando, vt septem octove tales simul domi eodem tempore haberet, qui omnes varijs erroribus tenebãtur. Hic Pontificem Romanum, ille purgatorium ignem, alij aliud pernegabant: sed tanta fuit Gasparis in ijs ora-

tractandis dexteritas, vt omnes ad fidem fuerint veritatemque traducti. Nec erat solùm in eo præfracta eorum ingenia tractādi peritia, sed mira etiam in ijs deprehendendis sagacitas. Nec abs re erit exemplū commemorasse. Vir quidam Armuziæ copiosus Patre in confessionibus vtebatur; cum eo Gaspar ita prudenter tractabat, vt absolutionem semper aliqua de causa differret: introspiciebat enim in penitioribus animi recessibus errores latere, quos ille rituum Catholicorum velo occultabat; sed quoniam nulla huius criminis suspicione laborabat, optimum factu decreuit, silentio potius quàm interrogationibus ab homine verisimiliter negaturo extorquere veritatem. Prorsus ita euenit. nam ille se inspiciens cœpit suspicari, ne quo fortè modo Patri suus fœtor suboluisset, ac Dei beneficio seipsum tandem damnās, vnà cum peccatis hęresin quoque aperuit & eiurauit; atque ita demum est à Patre absolutus.

Prudētia Gaspa-ris.

Alijs multis quotidiè miraculis Gaſparem, vt vnum aliquem ceteris mortalibus maiorẽ, fama ſupra ceteros euehebat. Iam qui à B. Xauerio inſula egredi vetitus erat, omnium ore maxima parte Aſiæ Cõſtantinopolim vſque ferebatur; tota Arabia clariſſimus, inter Abyſſinos iam celebrabatur, quò ille iamdudum aſpirans, de terra, de moribus, ac ritibus per idoneos homines inquiſierat, & in commentarios redegerat. In Perſide verò vicina, Babylonia, Carmania ita notus erat propè, vt Armuziæ: ſed ne quid oratoriè videar dixiſſe (quanquam quæ dixi, totidem verbis Ludouicus Froez illorum temporum ſcriptor egregius, idem Gaſparis in Indiam comes in epiſtola quadam ad Luſitanos ſocios refert) nolo verbis magis quàm rebus fides habeatur, tria omninò cõmemorabo, quæ hãc rem copiosè confirmabunt. Ac primùm quantum apud Saracenos nomen obtinuerit, apparuit, cùm ex Ammonitis Arabibus ad eum venerint,

rint, qui eũ ad gentis illius conuersionem inuitarent: sed de ea legatione, cum de Saracenis agemus, dicendum.

Constantinopoli ad eum mittitur Christianus instar legati.

Altera legatio Constantinopoli tanto terrarum interuallo missa. Christianus quidam à Christianis eius loci ad Gasparem veniebat cũ litteris solùm, vt is deinde ad suos rediens, se Gasparem, de quo tanta audierat vidisse testaretur, & comperta de eo referret quæ fama teste acceperant. Venit is feliciter Bacoram vsque, arcem Lusitanorum, quã eo tempore Rumes occuparant. Ibi ab ijs comprehensus ex litteris etiam quorsum iret est deprehensus: itaque custodiæ est mancipatus, è qua nihilominus data aliqua opportunitate ad Gasparem scripsit, venisse se ab ipsa Constantinopolitana ciuitate à Christianis missum, eius solùm videndi causa; sed hîc in custodia parum æquo animo subsistere. Respondit amicissimè Gaspar, hominem consolatus: quod vt senserunt Rumes, eum Armuziâ

aliquid literarum accepisse, non tulêre, & hominem capite multarũt; ea deinde recepta arce Præfectus hominis caput ad Gasparem misit, vt eum saltem videret, à quo post tot labores videri non potuerat.

Apostata ad fidem redire cupiens martyrio afficitur.

Alterum satis quidem simile est, sed tamen ex loco & alijs multis arguitur esse planè diuersum. Ex ijs quos post eiuratam fidem Ecclesiæ Catholicæ restituebat, vni eam rem meditanti funes ceciderunt in præclaris. Etenim cùm reditum ad nos, & à Turcis fugam ad quos transfugerat, adornaret, martyrij certissimam reperit coronam, & scelera sua sanguine suo eluens, ex Apostata in fidei testem euasit glorioſum. Dicebatur hic Ioannes, Coloniæ Agrippinæ in inferiore Germania natus; & quamuis parentibus ortus esset honestis & copiosis, varij tamen eum casus in varias regiones attulerant, ac denique in quandam Turcarum ciuitatem, Catifa nomine, quæ est in insula Baharem in Persico sinu, leucis ab Armuzia fe-

rè cen-

rè centum & decem; ibi decennio toto in vna eiusdem vrbis arce tormentis sulphureoque puluere conficiendo præfuerat. Eò cùm Gasparis & Armuzianæ pietatis fama penetrasset, vt non erat difficile ex emporio illo celeberrimo, Ioannē illum permouit, vt ad Catholicam religionem, quod iamdudum optauerat, rediturus Gasparis se fidei committeret. Sed quoniam hoc negotium tale erat, vt non sine periculo tertium conscium admitteret, mutæ chartæ confidere maluit, quàm cuiusquam fidem periclitari. E puluere ergo tormentario atramentum facit, quo litteras vnas linguis tribus ad Patrem exarat, Flandrica scilicet, Gallica, & Latina, ignorans Gasparem tres illas linguas apprimè callere. Literarum hoc erat argumentum: securitatem illi ac vitam inter Lusitanos, veniā quoque delictorum sibi Pater ab Ecclesia sponderet, extemplo se Armuziam in matris Ecclesiæ gremium aduolaturum, pœnas de suis

sceleribus sumpturum Gasparis arbitratu. Mirum in modum ea epistola Gasparem oblectauit; quare breuiter simul secretoque respondet, veniret securus, hac sola sua promissione contentus; facturum se, vt eum Lusitani hospitio exciperent, lauteque haberent, experturú quoque, quanta suauitate & clemẽtia mater Ecclesia filios omnes trãsfugas & prodigos excipere soleat pœnitentes. Hæc Patris epistola, casune an perfidia latoris, incertum, in manus tamen Præfecti Catifensis hominis Turcæ deuenit; itaque barbarus Ioannis cõsilia adhibito interprete intellexit. Accersitur Ioãnnes, & quem, Christumne an Mahometem colat, rogatur? illicò sensit res suas patere. Quare magno animo hilarique vultu ait, non esse fidem legemve aliam, quam Christianorũ, in qua possent mortales salutem consequi; ex ea se viuere, mori quoque velle, ac paratum esse pro ea tuenda veritate, atrocissima quæque subire tormenta; vi-

ta; vitam quoque priùs ipsam quã eam deserturum; habere se porrò Mahometem pro fœdissimo mortalium impostore, & æternis ignibus obnoxios esse, quotquot se eius assecias profiterentur; nulla deniq; re se magis angi, quàm quòd aliquo tempore illius sit impietatem sectamque mentitus. His sermonibus accensi barbari plura parantem interpellarunt, & furentes nullum genus in eum feritatis omisêre; frustatim hominem & per otium trũcare, lacerare, & in hostiæ morem membratim dissecare aggressi sunt. Martyr porrò noster animo fidem, ore IESV nomen identidem proferens, constans perstitit, dum elutum Christi & proprio sanguine spiritum Deo reddidisset. caput barbari lanceæ infixum pro murorum pinnis exposuerunt. Sed non diu diuina iustitia tãtæ feritatis cõtinuit vltionem, nec diutiùs passus est Deus martyrẽ suũ debito cultu & veneratione carere. Nõ ita multò post Armuziam cũ classe appulit

Antonius Noronha, Proregis è sorore nepos, qui Turcarum fines in Arabica ora perlustrans, cum duobus militum millibus, alijs planè ab illis Monaianis (ex illis quippe nemo fuit, qui non priusquam solueret expiaretur, atque vnius Gasparis opera, ceteris Sacerdotibus ad vnum omnibus ægrotantibus) ingressus Baharem, Catifam simul derepētè est aggressus, ita feliciter, vt venire, videre, vincere vnum idemque fuerit. In arcis exuuijs inuenta est Gasparis ad martyrē Ioānem epistola, qua permoti de Ioanne quærentes ab ijs, qui superstites vrbis vastitati remanserant, ea quæ scripsimus omnia cognouerunt. Itaque ipsum caput sacrum pignus à murorum pinnis auulsum non sine veneratione secum Armuziam detulerunt, ciuitasque cum Gaspare vniuersa magno concursu & sollemni cantu, honoris magis, quàm sepulturæ causa tota vrbe in triumphi morem circumtulerunt.

CAPVT

CAPVT XII.

Cum Iudæis quid egerit.

CVM Iudæis Gaſparis conàtus plus habuerunt applauſus, quàm ipſe voluiſſet; fructus, vt in ea perfidia ſolet, fortaſſe minus quàm optaſſet: quam ijs nec ille fuit exiguus, niſi fortè ſi cum reliquo fructu, qui fuit propè incredibilis, comparetur. Fructus vel applauſus hinc ferè ſumpſit exordium. Primis poſt aduentum ſuum menſibus, cùm iam fama notus etiam extra Luſitanos eſſe cœpiſſet, ea Dominica, qua SS. Trinitatis anguſtiſſimum myſterium Eccleſia Catholica veneratur, de ſublimi illo myſterio ad populum verba fecit: vbi poſtquam Catholicam de ea re doctrinam explicaſſet, oſtẽdit quàm à veritate longè diſceſſerint, qui hoc myſterium aut ignorarent aut negarent, Gentiles, Saraceni, & Iudæi; & cum ſingulis proprijs rationibus decertans, potiſſimum cõtra Iudæos inſtitit, ſcripturæ teſti-

monijs vel antiquæ vel nouæ legis hanc ſtabiliens veritatem.

Aderant fortè è Iudæis aliqui, vel ex alio pro concione dicta cognouerunt. mox itaque Gaſparem, nec-dum experti, quantum ſupra ceteros vel doctrina vel ſapientia emineret, auſi ſunt ad priuatam diſputationem laceſſere, vel ſpe victoriæ, vel hominis tentandi cauſa. Duo erant Rabbini, qui opinione doctrinæ ceteris præſtabant: Ioſeph alter, alter Salomon vocabatur, in Caſtella natus; vterque in Thalmudicis cõmentis eruditus: illi ad Gaſparem adeunt, & in his potiſſimum inſtiterunt. Dixerat in his locis Gaſpar veſtigium ineſſe SS. Trinitatis: in illo Heloim, Geneſ. 1. & iterũ verbo, faciamus, quæ numero multitudinis efferuntur; rurſus in illo: Eritis ſicut Dij; & ſimiliter in tergemina voce, Sanctus. Hæc illi agitare; Gaſpar ita aptè reſpondere, vt iam eos quæſiſſe pœniteret, ad textus ſuos recurrerent, memoriæ, qua tamen ſcripturã vniuerſam ſe tenere gloriabantur,

tur, diffidentes: sed cum nihilò plus præsidij in scriptis, quàm in memoria reperissent, ita discesserunt, vt apertè se victos faterentur.

Eius disputationis, quoniam erat seniorũ populi auctoritate suscepta, ratiõem eos palàm in sua Synagoga reddere oportebat. Itaque sabbatho proximo palàm interrogarunt, concertationis cum Christianorum Doctore quis fuisset euẽtus? mira fuit, & veritate cogente publica confessio veritatis. Rabbi Salomon, vt erat & habebatur eruditior, ita respondit: Se cum multis doctoribus congressum fuisse, nihil vnquam tamen simile hominibus istius Societatis reperisse: quod ille dicebat, vel quia sic arbitrabatur, vel quia victoriam illam & ignominiam suam, non veritati, sed eruditioni acceptam referens, ita conabatur, quoniam aliter non poterat, eleuare. Certè iam aliàs cum B. Xauerio congressus æquè infeliciter, è duobus de ceteris iudicium faciebat. Sed pergit: Ita enim in

collo-

colloquijs sunt subtiles, vt ea res vni diuinæ gratiæ (mira vis veritatis!) attribui possit. Ad hæc qui interrogauerant, intulerunt, quando ita esset, vt ipsi de victoria desperarent, in posterum abstinerent, & Gasparem virum bonum rogarent, eorum vti famæ consuleret, nec intra priuatos acta dictaque parietes euulgaret; atque ita fecerunt. Hæc omnia Gaspar ex amico Iudæo, nos ex ipso Gaspare ad suos scribente accepimus. Gasparem verò in posterum ita omnes coluerunt, vt cùm eo frequentes essent, domum suam ad conuiuium & vterque Rabbi inuitarent, spondentes in eo se conuiuio à legis ritibus temperaturos, fercula vtrisque communia fore. In Synagogas etiam suas admittebant, sed mira fraude tot congerebant quæstiones, vt respondendi solùm locus esset non etiam proponendi: responsiones porrò omnes miris laudibus extollebant, annuebant, applaudebant, ac denique tãtum creuit amor & veneratio, vt

speraret Gaspar se breui in Synagogis sacras litteras illis lecturum. Doctores ad eum frequentes itabant, non iam molesti interpellatores, sed discipuli; ad eum in suis dubijs recurrebant, ac mirabantur Patris in scripturis explicandis facilitatem, qui de vno versiculo interrogatus liberaliùs etiam quàm rogabatur, totum caput explicaret. Erat insuper tanta illius apud eos opinio sanctitatis, vt positis genibus, si cui fortè in vicis occurreret, eum passim venerarentur: quoties cum Christianis aliquid illis commercij causa litis incideret, ad Patrem recurrebãt, cuius sententia vtrimque litim dirimebat, etsi grauis causa, vt exemplo patebit, videretur. Filia Iudæi Christianam fidem susceperat; eam Parens exhæredare impotentiùs id ferens, statuerat: Gaspar illum adit, nec multis opus, sola præsentia hominem mansuefecit, & subitò quidquid filiæ proprium erat, restituit. Iam persuaserat multis non vsuras minùs sua

De Gasparis sãctitate quanta opinio.

quàm

quàm Christianorum lege prohiberi: atque ita multi, quod in ea gẽte credi vix potest, ab ijs abstinebãt. Officina Iudæorum in se Gaspar, vbi poterat, cumulatè compensabat. Aegrum fortè ex ijs quendam cùm in platea temerè iacentem reperisset, sustulit in humeros, quem tanta victum caritate ad Christum deinde traduxit. Sed mirum videri poterit cuipiam, quid esset quò minus ad fidem venirent, quàm ita mirarentur: sed non ei, qui gentis & pertinaciã nouit & cæcitatem: eius tamen rei causam, quam ipsi dabant, sequenti capite referemus.

CAPVT XIII.

Publica Gasparis cum Iudæis disputatio.

DIFFICILE fuit clàm semel imò sæpius etiam propria cõfessione victis publicũ certamen persuadere: sed tamen continua Gasparis prouocatione lacessiti, & diutina comparatiõe instructi tandem annuerunt, sperantes si non vince-

vincere, saltem artibus suis Gaspa-
ris victoriam obscurare, & apud in-
eruditos in dubiũ vocare. Cùm er-
gò diutius nõ possent incolumi vel
apud suos; vel apud cæteros, quod
caput erat, honore (de suis enim iam
propter superiùs dicta parum labo-
rabant) diem ad differendum publi-
cè condixerunt. Aduenit dies; duo,
quos iam dixi, Rabbini ex vno, Gas-
par ex altero latere, cõsederunt. Ad-
erant præter Iudæos & Christia-
nos propè omnes multi etiam Tur-
cæ, & Mahometani, qui ex disputa-
tionis euentu facturi erant pericu-
lum Gasparis eruditionis, vt ex a-
liorum periculo viderent, quid de
sua disputatione, ad quam iam Gas-
par eos sæpe prouocarat, statuerent.
Disputationem igitur, ne varijs li-
tigantium effugijs vagaretur, visũ
est his limitibus circumscribere, vt
Gaspar, qui prouocarat, hæc duo cõ-
firmaret: Messiæ venturi iam tẽpus
exspirasse: alterum; IESVM, quem
coleret, promissum esse Messiam, &
vt Christiani vocant, CHRISTVM.

Eius

Eius disputationis, qua potero breuitate, capita describam, & rationum neruos contraham, non extendam. Ergò primam veritatem ex hebdomadibus Danielis pulchrè demonstrauit, quas, vt ex annis vel solaribus aut lunaribus constarent, vt antè, vel pòst paullo, vel Angelo reuelante cœpissent, omninò certum erat iam quindecim & amplius sæculis effluxisse. Inde ad celebrem illum Geneseos locum transijt, vbi Iacob ait: Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui venturus est, &c. quod vaticinium iam ante multa sæcula completum, luce clarius ostendit. Subinde aggressus est aperire, quanto tempore ea de re inter ipsos Iudæos sit litigatum. In Herode magno multi conuenerunt, quòd Idumæus esset, sceptrum Iudæ defecisse: in ijs fuerunt Pharisæi, quos ea de causa Herodes iugulauit; quāquam Herodes quoque factus iam proselytus, puerorum mactator, & post annos triginta noui iuramenti exa-

exactor, se quoque id metuere declarauit. Idem confirmant ij, qui Herodem Messiam appellarunt, multorum sententia Herodiani appellati. Idem quoque sub Agrippa Aristobuli filio, Herodis magni nepote, ex Iudæa matre nato, est in controuersiam adductum. Sub Vespasiano omnis dubitatio remota, cum alij ab Imperio Romano defecerunt; alij, quorum agmen facilè ducat celebris Iudæorum historicus, Iosephus, turpissima adulatione illum ipsum pro Messia habuêre. Nec sibi defuit Vespasianus. sed quoniam de tempore inter omnes constabat, id etiam conatus efficere, ne de se quispiam ambigeret. Hinc vt Princeps pacis crederetur, Paci æternæ templum ædificat, atque ope Apollonij Tyanęi magi paralyticum solo tactu, inspectante Alexandria, curat. Ex his omnibus alijsque permultis colligebat, antiquorum opinione iam tum Messiæ tempus aduenisse; stultissimum proinde post tot elapsa sæcula ne

cum

cum illis quidem velle dubitare. Itaque si probabiliter velint adhuc exspectare templum Salomonis, quod quidē ab Herode sub Christi aduentum diuino consilio ædificatum fuit, vt venienti Christo ex oraculis inseruiret, in quod mòdò ingrediatur, condant; stirpem Aaron à qua excipiatur, producant; Rempublicam suam quam defeciſſe, antequam veniret desiderium collium æternorum ex Iacobi vaticinio non oportet, constituant; cui notam hodie esse Dauidis stirpem, è qua Messias procreetur, potissimum ex quo Vespasianus eam stirpem exstirpauit? Hæc igitur ante omnia restituant, tum de Messia contendant: iam verò post tot signa, tot sæcula, totius mundi voces adhuc dubitare, esse intolerabile, maximè cum iam sine lege diutius, quàm cum lege fuerint: plus enim temporis à Christo ad hæc tempora, quàm à Moyse ad Christum abijsse.

Euseb. histor. lib 3. c. 11.

Ea re confirmata, vt nullis effu-

gijs

gijs locus esset, omnibus stupentib⁹ ad alterum locum est progressus. Nec erat difficile. iam enim tempus aduentus Messiæ præterlapsum perinde erat ac Messiam adueniſſe, nisi sacrosanctis Prophetarum oraculis nefariè fides abrogaretur. Quęrebatur ergò, quis ille fuerit, noster, an alius quilibet? nostrum esse sic probabat differens, primùm ea quę passim de Christo prædicantur, magis spiritu quam corpore metienda, victorias de dæmone reportatas, opes esse gratiæ & Sacramentorum vbertatem, vitam & imperij firmitatem in terra viuentium interpretandá: alioqui cui non videri Christum illum ab immanitate, auaritia, superbia, fœditate non posse vindicari? Neque tamen egenum ita fuisse Christum, vt non hæc eadem suis successoribus reliquerit, testari Ecclesiæ Romanæ dignitatem, Episcopatus, opima Sacerdotia, Apostolos denique, quibus ex eadem gẽte prognatis quid toto orbe terrarum illustrius? At verò Iudæos, qui

hæc

hæc omnia iam diu expectant, in alia omnia cecidisse nequicquam probari, cùm satis constet, quàm atrociter Christi mors vindicata sit, Solymorum inaudito sæculis omnibus excidio. Sed quorsum, infert, hæc tam atrocia, tamque diuturna toleratis? abstinetis à nefario cultu Deorum; ritus vestros inter mille difficultates retinetis; legis, qua potestis, & propè quà non potestis, estis obseruantes: quæ sanè si vera est, iniustus, & crudelis est Deus, qui tot tantis tãque diuturnis malis nõ eripiat. Sed patimini hæc sanè in pœnam cæcitatis. Contrà verò, si IESVS non esset, vt est, verus Dei filius; quo pacto Deus Optimus Maximus tantam iniuriam tamdiu dissimularet, imò verò promoueret, ac honoraret?

His & alijs multò pluribus Christum verum esse Messiam arguebat, siquidem iam in confesso erat aduenisse; nisi fortè Herodem mallẽt, aut Vespasianum, aut similem aliquem impostorem. nam de Mahomete,

mete, se hoc Saracenis, cum in arenam quoque descendere placuerit, reseruare. Iam itaque Gaspar, & his, & pluribus suo muneri satisfecerat, tanta omnium approbatione, vt Lusitanis & omnibus Christianis, vt ipse narrat & fatetur, res diuinior visa sit, & à Spiritu Sancto inspirata. Iam duo Rabbini sudare incipiebant, & aliqua cùm conati fuissent adferre, risu & cachinni excepti sunt, potissimum cum ad vnitatem diuinam probandam, ac euertendam Trinitatem personarum, anuli concluſi simulitudinem extra rem attulerunt, quid hoc fuerit, non satis explicat Gaspar, sed solùm attingit. Cùm itaque iam de victoria desperassent, ad solitas artes confugientes, Gasparis doctrinam ignorantiæ suæ compararunt, vt à doctrina stare, non à veritate, victoria videretur; sed nihil profuit effugium. quà quærendo, quà vrgendo effecit, vt vel inuiti Catholicæ religionis agnoscerent veritatem. Causam deinde vel à Gaspare, vel ab

alijs rogati, cur non in agnitam trã-
firent veritatem, priuatim sæpè res-
ponderunt duas esse eius rei causas:
Iudæorũ pertinaeia. alteram opes suas, quas ex vsuris v-
tique partas restituere, necesse esset
amplectentibus fidem Christianã;
alteram, quòd Christiani Iudæos
parum benignè & honorificè tra-
ctarent, licet fierent Christiani; iam
porrò benè nummatos vrgente ne-
cessitate ab omnibus honorari. Et
hoc vterque Rabbinus disertè Gas-
pari est confessus; alij etiam pleri-
que Lusitanis: a que ita facilè osten-
derunt, quàm impij essent, qui sa-
lutem suam & opibus & honori
posthaberent. Nihilominus ex il-
lo congressu Iudæi compressi, Chri-
stiani elati, Saraceni etiam territi
sunt: quos nihilominus ad certamẽ
vel inuitos Gaspar elicuit, vt mox
dicemus. Postmodum quoque fre-
quenter, multis doctoribus subinde
euocatis, Gasparem, quẽ colere id-
eò solitis officijs (tanta est virtutis
efficacia) non cessabant, tenta-
runt, si quem fortè reperirent, qui
nomi-

nominis honorem & gentis famam quoquo modo resarciret: sed nihil vnquam profecerunt. Antequã verò à Iudæis ad Saracenos veniamus, non omittendum puto, quod Gaspar quoque narrabat: eo tempore Iudæos non paucos in montem Sion conueniſſe, & toto triennio Messiã fruſtra expectaſſe; ſed certum eſt eos ad eum priùs iudicandos deueniſſe, quam Messiam ad eos festinaſſe liberandos.

CAPVT XIV.

Saracenorum ſibi animos conciliat.

ARMVZIAE & numero & potentia, quippe cuius Rex eſſet Saracenus, præſtabant ceteris Saraceni, quibus Gaſpar, omne hominum genus animo complectens, ad ſalutis viam præire magnoperè optabat. Initio quidem ab ijs lapidibus non ſemel eſt ſalutatus, cùm nola pueros ad Chriſtianã doctrinã conuocaret: verùm deinde poſtea odio in veneratione cõ-

uerso, supra pænè quàm credi potest, eum colebant; à lapidationibus certè posthac abstinuerunt; nisi quòd in celebri illa pōpa ad Sacellum Diuæ Virginis, pro arce Monajam instituta, lapis temerè in turbā consertam coniectus puerum vnum vulnerauit; sed incertum, ab Saraceno, Iudæo, an alio quolibet missus. Quin potius illum flexis in terram vsque poplitibus supplices salutabant; manum etiam qui plus audebant osculabāntur; quidam etiam magis verecundi vesti dumtaxat reuerentiæ causa osculum dabant.

Quanti Gasparē facerent Saracēni.

Noctu cùm per vrbem incedebat, quod propter vim æstus, & negotiorum multitudinem persæpè faciebat, non solùm non erat inter medios Mahometanos securos; verùm etiam si fortè eum per tenebras agnouissent, è via statim honoris causa discedebant, cumque eo agere sibi existimabant esse honorificum, si quando Christianorum aliquem opprimerent, schedula Gaspar vel monebat vel rogabat, vt ab iniu-

iniuria abstinerent: eadem ipsi libertate ad eum, si quid à Christianis paterentur recurrebant; nec erat eorum quisquam, qui non faceret imperata. Vulgò eum Zachariæ filium appellabant, vel sanctitatis zelique similitudine, vel quod Pythagoricam illam animorum metempsychosin agnoscerent, & Baptistæ animum in Gasparis corpus crederent emigrasse: magnum quoque Christianorum Caciz, quorum quidem solùm tres in orbe toto varijs in sectis esse fabulantur, è quibus vnum esse Gasparem sibi persuadebant.

Sed hoc admirabilius & insolens planè honoris genus Gaspari ab ijs exhibitum. Nocte intempesta multis facibus tenebras vincentibus, in templum suum (Coranum vocant) magno comitatu induxerunt, & ad summum vsque deduxerunt inspectante tota ciuitate, quæ iure solemnitatem pompæ ex accensis facibus æstimabat, & facilè mirabatur. Hîc celâre illum nihil, sed omnia reserarunt

rarunt: cum alij veſtem, alij veſtigia illius oſculis interea venerarentur. Et tamen etiam propoſita morte, ne ex aliena ſecta quiſquam ingrediatur, Mahometanis legibus eſt interdictum. Verùm illi ſic Mahometem explicabant, noluiſſe illum tam insigni virtute viros excludere. O quid nõ vnius viri poteſt virtus, etiam apud gentes immanitate barbaras! Nec tum ſolùm illis ibi adfuit, ſed etiam feria ſexta, quam illi feſtam habent, cum eis agebat non infrequenter. Quæ verò enarrata, modeſtiſſimus Gaſpar ſpe fructus, quãquam inuitiſſimè, & quia impedire non poterat, patiebatur. Tantam porrò Gaſpari venerationem & ſanctitatis opinionem hęc ferè conciliarunt. Videbant hominem ſumma doctrina & auctoritate apud omnes ita ſe abijcere, vt nola vicatim pueros conuocarent, mancipia inſtrueret, ægris adeſſet, & cùm omnium mercatorum opes in eius quodammodo eſſent poteſtate, obſtupeſcebant eum in noſocomio viuere,

uere, stramineo in cubiculo, inque victu magnam asperitatem obseruare; tantam porrò in vestitu esse negligentiam & paupertatem, vt non pannosus solum assutis temerè partibus, sed etiam lacer incederet. Quã eius paupertatẽ initio Christianorum auaritiæ & tenacitati adscribebant, atque etiam obijciebant. Quare Lusitani vestes certatim ei offerre, quodque nullam admitteret, propè succensere; asserere fidei ignominiã & dedecus, ac sibi quoque inuri, quibus id crebrò Turcæ & Saraceni exprobrarent: quod cùm Gaspar persuadendi causa dictum putaret, constanter respuebat. Ad extremum Turca, mercator copiosus, pannum ex vndulata veste per Iudæum quendam mittit, rogãs vt eo vtatur, nec posthac ita lacer incedat. Sensit Gaspar scomma potius esse quàm donum: itaque doctum, quoties sibi à Christianis vestis esset etiam propè per vim oblata, Iudæum ad negotiatorem actis gratijs cum pãno remittit. Vul-

gata res est, & Christianorum liberalitas, Gasparisque paupertas illustrior euasit: sed tandem cum neque vestis vltrà permitteret, neque illi vrgendi finem facerent, permisit fieri nouam. nec mora; vbi id cognitũ, propè omnes vt id præstarent contenderunt: denique ita conuenit, vt alius aliud, suam quisque partem donaret. Ea omnia Gasparem celebrem, restitutiones verò factæ Saracenis etiam gratum effecerunt. quod enim illi iam pro amisso habebant, cum reddi sibi viderunt, non aliter acceperunt, quam si à Gaspare, quê satis sciebant horum esse causam, donaretur. Ex his denique omnibus magnus erat animorum motus. dicebant enim nonnulli, iam tempus quo impostor Mahometus aliam se illis legem daturum promiserat, abijsse; itaque non pauci in Christianam fidem propendebant: sed hæc pluribus, sequentibus capitibus prosequemur.

Eximius Lusitanorum in Gasparẽ affectus

CAPVT

CAPVT XV.

Gloriosa Gasparis & publica de Saraceno Philosopho victoria.

SAEPE, vt ante dixi, Saracenos Gaspar ad publicum certamen prouocarat, sed impostoris astutia (Mahometis inquam, qui congressus omnes interdixerat) & verò metus è Iudæorum euentu conceptus, omnes ad eam rẽ aditus videbantur occlusisse. Verùm cùm se iam aliquoties vel religionis prætextu, vel quod armis assueti litteras ferè negligerent, excusassent, Mahometanorũ multi eã tergiuersationem præiudicium falsitatis arbitrabantur, nec non, vt dixi, in sacra nostra propendebant. Cùm porrò Armuziam venisset quidam Persa, non modo insignis Mahometanorum Cacez, sed etiam Philosoph⁹ ex Aristotelis disciplina, cuius libros legerat, Peripateticus Astrologus, & verò etiam Necromanticus: audaciores facti non modò certamen acceptarunt, sed iam propè

de eo desperanti Gaspari vltrò etiam detulerunt. Nec abnuit Gaspar. Disputationis modus quæsitus, nec satis conueniebat inter partes. Nam Persa inediam, recepto apud illos more, assuetus tolerare, Gasparem hac lege prouocauit, vti in vnum ex Armuzianis è sale montem secederent, nihil commeatus inferrent, dispositis custodibus, ne quid inferretur, cauerent; illius legem meliorē iudicādam, qui diutius famem pertulisset. Adhæc Gaspar ita respondit: Itane verò legum veritas ex hominum robore, & famis ac sitis tolerantia, metienda; aut fortè Deum ad miraculum nulla vrgente necessitate temerè astringemus? nam si veritas rationibus, præsertim vbi cum Philosopho agitur, cognosci potest, quorsum hæc insolita experimenta? Tentemus primùm, si quid ea ratione perfici queat; si satisfieri nō poterit, tum ego nec illud certaminis genus, nec vllum aliud etiam atrocius subterfugio. Non habuit quod his respōderet Persa, nisi quod

alia

alia nollet lege congredi. Itaque re prorsus infecta discessum est.

Verùm quod ille tum noluit, fecit planè Deus, vt velle cogeretur; idque in hunc modum. Adfuerant huic prouocationi & primæ velitationi Philosophi vxor & filia, vtraque acri ingenio & bona indole, è stirpe verò Zaidis, nepotis Hocē, qui ex Ale nepos erat Mahometis. Illæ igitur mariti vel parentis tergiuersationem, vt erat, effugium esse hominis de bonitate causæ diffidentis interpretantes, diuini spiritus lumine afflatæ, ad Gasparem noctu, ne quid morarum necteretur, Baptismi causa aduolarunt: quas ille amicè exceptas, plenus gaudij, in domum abduxit nobilis cuiusdam & pij Lusitani: ibi dispositis custodibus, ne quid per vim auderent Saraceni, asseruatæ, postridiè res in vulgus abijt. Philosophus enim apud suos queri, apud Lusitanos infimis precibus & lacrymis etiam suas repetere, ipse porrò propè secū furere & insanire. Mouit ea res Ma-

Saracenarum duarum rara cōuersio.

hometanos, & iam vim parabant; sed à custodibus deterriti, atque arcis etiam tonitrua formidarunt. Itaque Philosophus, cum vix aliud supereſſet, ad Gaſparē adit, coniugali ſe iure ac paterno tuetur. annuit Gaſpar, ſed diuinum prę fert. Saltem illarum conſpectum, quod negari iure non poteſt, expetit. Hîc Gaſpar aſſenſit, ſed hac lege, vt in loco ad diſputandum deſignato eas videret, ſi modò congredi vellet: qui ſi victor eſſet, vxorem filiaſque reciperet; ſin victus, ipſe ſe ad vxorem filiamque in eandem fidem adiungeret. Compulit hominem geminus amor, ingens telum. Diem dici placet, interpretem deſignari Garciam de la Pancha, hominem Luſitanum, Regis Armuziæ interpretem. is iam aliàs non rarò Gaſpari in ſimilibus congreſſibus fidelem operam præſtiterat: nam & latinæ linguæ peritus erat non mediocriter, præter Perſicam, quàm apprimè callebat. Tabellio idcircò adhibit', vt quoniam preſsè & ex dialecti-

cæ præ-

cæ præceptis certandum esset, negata conceſſaque constarent. Aderat huic certamini publico præter ceteros, Vicarius quoque ciuitatis. Itaque cùm iam conueniſſent, non diu stetit Persa, sed paucis dialecticæ ictibus proſtratus est. Disceptatum primò fuit de somniatoris illius paradyso, de licentia vitæ ab eo conceſſa, quam nemo probus audeat acceptare. Hîc Persa non difficilem se præbuit, vt turpitudinis & ignorantiæ plena ea fateretur. Nam Perſæ præ ceteris Saracenis Mahometis dicta ad rationis limam explorata, vel concedunt vel negant, eius nomini parum tribuentes: vnde etiam eorum nonnulli è Zaidis secta (cui multùm vxorius Philoſophus fauebat) ab Arabibus atque Mahometanis in hæreticorũ numerum referuntur. Conceſſit denique, quod ipse conceſſit eiusdem erroris Auerroes, hæc dogmata saginandis feris quàm hominibus ratione præditis instruendis aptiora. Sed. institit diutius in fidei noſtræ

mysterijs infirmandis, quàm in suis confirmandis: ea fuerunt SS. Trinitatis, Incarnati Verbi, passi ac mortui; sed in his quoque plurimùm Gaspari diuina lux cum mira rationum felicitate & facilitate affulsit. Primùm itaq; probare aggreditur, omnia fidei nostræ mysteria, vt sint ferè supra naturam, nullo tamen modo naturali lumini repugnare: quod apertis rationibus & exemplis ita declarauit, vt Philosopho in sua velut arena triumphanti spem gaudiumque eripuerit. tum Gaspar aptis interrogationibus hominem adoritur. Percunctatur ergo, Deo sit bonum necnè, seipsum intelligere? Ille ex Aristotelis doctrina beatitudinem eius in eo sitam esse affirmauit. atqui intellectionis imago est aliqua, quam verbum mẽtis vocamus? concessit. atque illud pro intelligentium perfectione perfectius? perfectius ait omninò. Ergo in Deo, qui est immensus quidam intelligens, intellectio erit immẽsa? immensa respondet. Intellectionis

nis ergo illius imago & verbum erit quoque infinitum? dialecticè sequi fassus est. Verbum igitur illud erit Deus: quidquid enim infinitum est, id est Deus. nam quod in homine verbum mentis propter intelligendi vim finitam ac debilem accidens est, in Deo propter intelligendi vim infinitam idem substantia æqualis ipsi Patri, seipsum perfectè & ad imum (vt ita dicam) & quantũ intelligi potest, comprehendenti. Quorsum enim producendi vim, quæ in creatis rebus est perfectio, ipsi auctori perfectionis negaremus? Ex hac generantis & geniti distinctione duas distinctas personas demonstrauit, & eodem planè modo de tertia philosophiatus, ex amore vtriusque Spiritum S. probauit, processisse. His alijsque multis conuictus Persa dedit manus, & ad ea quæ iam concesserat, SS. Trinitatis addidit confessionẽ. In mysterio Incarnationis facilè fuit obiecta diluere. Nã etsi Deũ incarnatũ, natum, passumq; dicamus, hæc illi personę,

quæ

quæ Deus erat & homo, non diuinæ seperatim naturæ, quæ neque nasci in tempore, neque pati poterat, tribuimus, sed humanæ: quam ille salutis nostræ causa, magna & inexplicabili amoris significatione, assumpsit. Alia multa dicta sunt à Gaspare, summa omnium admiratione & approbatione: ex his omnibus hoc collegit, mysteria fidei nostræ quanquam ad euidentiam humanæ rationis non perueniant, vt esset aliquid in quo captiuaremus intellectum in obsequium fidei; hoc tamen effici euidenter, quòd testimonia eius credibilia facta sint nimis.

Ad extremum Gaspar omnium concessorum probè memor, ea in vnum congessit, & iteratam confessionem extorsit; si quid negaret, ad tabellionem appellabat. Fassus igitur legem suam primò falsam, inde non posse eam sine pertinacia sustineri. Trinitatem quoque, Patrem & Filium & Spiritum S. vnum ac verũ Deum est confessus. Denique de religio-

ligionis nostræ sanctitate quid sentiret, rogatus, cogente veritate in hæc verba exclamauit: Res sancta. Atqui, ait Gaspar, si de his inter nos conuenit, in quo discrepamus? Hîc philosophus, hactenus feruore disputationis abreptus, se collegit, & cùm puderet concessorum, neque posset sine infamia palinodiam recantare, circumspexit, qua ratione, quàm minimo posset pudore, sese ab eo consessu expediret; atque inducias petens, ad quosdam suos libros non sine ignorationis præiudicio appellauit. Comperendinatus est quidem, & dies dictus; sed disparuit, atque insula egressus apud quendam Regulum in Continenti Persidis partem sui doloris deponens, consilium petijt. Ille acriter hominem redarguit, quòd cum tam insigni mago temerè concurrisset. Itaque Philosophus procul inde se vt abderet, persuasus, omnium quæ habebat carissima, coniugem, filiã, famam, Armuziæ pignori dereliquit.

Inte-

Interim quantum ex doctoris sui fuga Mahometani doloris, tantum è Gasparis victoria gaudij cœperũt Christiani: quod gaudium breui publica pompa in coniugis ac filiæ baptismo demonstrarunt; matri Mariæ, filiæ Catharinæ nomen inditum. Et quoniam ex regia stirpe prognatas esse constabat, honorifica apud Lusitanos appellatione, Dom, vulgò decorarunt. Tum deinde Gaspar octingentis in dotem Pardais conquisitis, duobus nobilibus Lusitanis maritali fide coniunxit. Quibus omnibus Gaspar in tãtum Saracenorum odium deuenit, aut potiùs tantum illis metum vel sola eius prȩsẽtia incutiebat, vt cõspectum illius tanquam insignis venefici vitarent. Verba porrò illius, sed ne nolæ quidem sonum in aures eodem deterriti metu admittebant. Ita enim iam inter eos constabat, conspectum eius cõtactum, sermonem, ipsius tintinnabuli tinnitum carminibus infectum, pestem in animum ipsum contagionem-

nemque diffundere. Sed hæc aliorũ de Saracenis triumphorum præludia fuerunt, & velut ouationes; ad sequentia maiora conuertamus sermonem.

CAPVT XVI.

Nobilis alterius Saracena conuersio.

EA disputatio non solùm hos in obstinatis effecit, vt Gasparem pro incantatore somniarent, sed fructus longè gratissimos protulit. Ab illa multi ex Saracenis quotidiè ad sacrum baptismi laticem, velut cerui ad fontes aquarum concurrebant; quos non relata solùm de Philosopho victoria conuicerat, sed plerosque etiam prodigia ad id cœlestia inuitabant. Hunc Beatæ Mariæ Virginis conspectus, illũ etiã Christi; hos Angelorum gratæ collocutiones aut voces cœlo missæ, pastore suas oues euocante ad vnum Ecclesiæ Catholicæ ouile intrandum compellebant. At qualiacumque hæc fuerint (nec enim

enim multum intereſt) plurimum ad Catholicæ fidei amplexum perſuadendum momenti habuere, cùm apud plebem, tum verò apud primã nobilitatem. Ex hac nobilis mulier, ſuperiori non impar, conuerſionem ſuam, quia de ea diu certatum eſt, fecit celebriorem.

Multi erant Armuziæ, vt in emporio celeberrimo, vicinorũ Principum legati; ex ijs vnus è Perſico genere illuſtri, Xatamæ ſupremi Perſarum Imperatoris legatus, cum vxore Mecani Xarifæ, qui ſe Regem Arabiæ appellat, ex ſorore nepte, ex ſtirpe ipſius Mahometis. Illa vel Perſæ Philoſophi fuga, vel alia ratione impulſa, incertum, Baptiſmũ tandem à Gaſpare petijt; & interim dum ea quæ opus erant docetur, apud Luſitanam nobilem matronam aſſeruabatur. Legati Perſæ querelę, Philoſophi lamentis & querimonijs nihilo inferiores; ſed nihil egit. Itaq; coniugis deſiderio furens, Luſitanam fidem deteſtatus, plenus minarum ad Xatamam ſe confert,

ibi

ibi falsa veris permiscens multis queritur, ius gentium à Lusitanis violatum, ab ijs sibi quà in arce Chaul (venerat enim inde paullò antè) quà Armuziæ quattuor aut quinque pardaorum millia per vim erepta; item vxorem sibi suam ab ijs etiam cõtra naturæ iura raptam, celebris magi opera Christianis ritibus pollutam, perq; vim in œnopolæ cuiusdam domo ad Mahometis contumelias (cuius scitis vinum interdictum) detineri; ad hæc omnia inertem Armuziæ Regem externis nimis addictum conniuere; nihil vel se apud illum precibus, vel apud Lusitanos minis profecisse, cùm Persicam iram magna petulantia eleuarent. Itaque è maiestate Persica videri, ius naturæ gentium Persicum, vel iure vel armis repetitum vindicare; Xatamam alioqui legatis in posterum cariturum. Arrogantem non difficile fuit specie lęsi numinis sui ad iracundiam prouocare. Is enim eò dementiæ deuenerat, vt se pro Deo coli iuberet;

Persarũ Imperatoris superbia.

aquam

aquam quæ pedibus abluendis superfuerat, velut sacram asseruari; ad quoslibet morbos curandos adhiberi, & quaqua versus distribui; vulgò etiam Principum litteras, si quas ad se darent, sic inscribi: Magno Xatamæ, cuius opera cœlum & terra sustentantur. Quare furore accensus per Abiencan Regem Niran & militiæ Persicæ summũ Præfectum mandat Legato Regis Lusitani (erat is Henricus Macedo, nobilis Lusitanus, qui iam tum in ipsa nauigatione non amicus solùm, sed etiam in Gasparem ac socios munificus fuerat, & legatum fœderis ineundi causa, in aula agebat) vti ad Armuzianum Præfectum & simul ad Gasparem scribat, mulierem vt restituant; & verò eum non nisi restituta discessurum; sed & vnà Laiç & Carmaniæ Regibus, Persæ vectigalibus mandatum, vt nisi imperata fecerint Lusitani, in Armuzianos fines infestis armis irrumpant, atque etiam ipsam Armuziam obsidione cingant ac deuastent. Hoc man-

mandato accepto Legatus noſter dubitauit primùm, quid eſſet facturus. nouerat æquitatem cauſæ, nouerat ingenia barbarorum, nouerat Gaſparem, nouerat Luſitanos ad extrema omnia potiùs deſcenſuros, quàm fidem proditurос: illinc tamen vrgebant minæ; nec facilè diutius poterat præ penuria ſe ac ſuos pro Luſitani nominis dignitate ſuſtinere. Scribit igitur ad Gaſparem, ſed ita moderatè, vt & quāti illum faceret, quodque officij explendi cauſa id faceret, indicaret, ne iuſta barbaro Regi ſæuiendi anſa vlla præberetur: alias addit ad Præfectum eiuſdem argumenti, qui iam tum non erat Emanuel de Lima. Eæ litteræ Antonio Mendez Doliueira traduntur deferendæ, Armuziam vt peruenerunt, Præfectus concilium Luſitanicum conuocat: & quia res erat ſacra, nec ſine Gaſpare ſtatui poterat quicquam, ipſe quoque cum ceteris euocatur, ac primus rogatus, quid ſentiret, in hæc verba reſpondit: Nolite

ſan-

sanctum dare canibus, & ne tradatis bestijs animas confitétium Deo: barbarum non timendum; Deum suorum causæ, quod in India toties experti sint, non defuturum. In eã sententiam pedibus ac manibus itum, & sic sancita, vt ad vnum omnes se mortem dicerét pro hac muliere tuenda, si necesse foret, oppetituros. Ad litteras porrò Legati tãtisper responsum non est, dum quò res vergeret, appareret. nec frustrà; vt sunt leuia barbarorum ingenia, vel potiùs Gasparis precibus, Deo qui corda Regum in manu tenet, Persicam iram moderante, tempestas sedata, redijt Macedo, à vicinis Regibus nihil motum. Ipsa mulier, dote iam opera Gasparis etiam cõquisita, coniugem nacta est pro sua dignitate Lusitanum.

CAPVT XVII.

Ex Arabia felice mittuntur ad Gasparem Legati.

CVM rem Christianam videret Gaspar ita feliciter Armuziæ

muziæ succedere, vt erat animo generoso, circumspicere cœpit, quanta supereſſent ex omni parte cum Saracenis ſibi ſubeunda certamina. Iam in Perſiam, iam in Arabiã, & quæ circà ſunt regiones, mente & votis ferebatur, nec inerti commẽtatione, ſed etiam iam tum ſtrenuè ſe ad eas expeditiones comparabat, vt licet ipſi vel Iaponia vel China excideret, Mahometanorum vbique terræ ſupereſſent. Nam de ijs regionum moribus, de præparatione ad Euangelium, quoties poterat, certior fieri non omittebat. Ita cùm Henricus ille Macedo, de quo capite ſuperiori diximus, in Perſidem diſcederet, id ab eo flagitauit, vt diligenter animaduerteret ea omnia, & ad ſe perſcriberet, vel rediens coràm referret; quod ille fecit accuratè. Et incidit ſanè tum faciendæ frugis occaſio, ſi nõ euentu quodam euolaſſet.

Epiſcopus erat ijs in locis Chriſtianus, fidei iam olim apud Perſas propagatæ tenue veſtigiũ. Is vbi de

Lusitanis audiuit, ad Legatum litteras dedit Latino quidem sermone, sed corrupto, vti ad certum locum vicinum venirent, vbi ipse eos præstolabatur; cupere se de rebus ad fidem vtrique communem pertinentibus colloqui. Eæ litteræ, quòd è legati domo nemo latinè sciret, à nullo sunt intellectæ, atque adeò rei Christianæ bene gerendæ elapsa opportunitas: quas vbi litteras Gaspar legit, summoperè iure meritoque indoluit. Quæ Henrico mandarat, eadem alijs aliò ablegatis commisit. Ergo cùm Petrus Lobato, vir Lusitanus & Gaspari peramicus, Mesquaten quæstorem acturus proficiscitur, mox ab eo contendit, de vicinis regionibus sedulò perquireret; sed potissimùm de ijs, quas Ayman vel Eayman vocãt. ij sunt populi in Arabiæ felicis Cõtinente, inter duo promontoria, Rosalgate & Mocandan, qui quattuor magnis & antiquis vrbibus continẽtur. Multi eos putant, quos sacræ litteræ Ammonitas vocant, è

stir-

stirpe Loth descendentes; & fauet, quòd ijs procul dubio essent conterminí. Vestigium etiam antiquæ gentilitatis est apud illos, antiquũ & magnum Iouis templum. Eam gentem naturâ robustam, sed ferè simplicem & candidam, impostor Mahometh primam suis erroribus delusit. Mandauit igitur quæstori Gaspar, velut ex ipsius quæstoris litteris constat, vt gentis primores suo nomine, quem iam diu fama eò detulerat, salutaret, operam suam deferret, desideria instruendæ gentis, sacræ ibi extruendæ ædis exponeret. Fecit ipse, quod erat iussus, & impensè; & cùm gentem mirè affectam inuenisset, ita Gasparem eò venire rogat, vt ipsemet gentis patrocinium, non etiam officij rationem reddere videretur. Mirum ibi Gasparis desideriũ, præsertim quòd scriberet, solo eius aduentu omnes, cum multorum fidem iam promissis obstrictam habeat, conuertendos: itaque sacellulorum suorum Armuziæ curã Vicario, viro pio, re-

linquat, ipse ad maiora natus maiora aggrediatur: ac demum rogat, interposita Diuini nominis sanctitate, & Ecclesiæ parentis auctoritate, quorũ Gaspar filius esse vellet. Hæc Gaspar, hæc quæstor, Deus quoque suas partes peragebat. Nã ipsi Ammonitæ siue Gasparis fama permoti, siue quæstoris auctoritate, (quanquam verò propius est iam ante factum, quàm quæstor adueniisset, qui suis ad Gasparem literis hoc præstreat) ad Gasparem ipsum terrestri duorum mensium itinere longo ac difficili, sed tutò, è suis duos mittunt: quibus in mandatis datum, vt ipsi primitiæ gentis baptismum susciperent. Gasparem deinde summis precibus ad se inuitarent. Id quidem, postquam aduenerunt, nó indiligenter ab ijs præstitum; sed baptismo abluti & summa beneuolentia accepti & habiti, cum litteris ad suos reuersi sunt, spem ceteris vel Gasparis aduentu vel alterius cuiuspiam facturi.

Totam huius Legationis lætitiã,

quam

quàm ex regione tam alba ad meſſem, atque ex his ſpicis colligebat, ſua Gaſpari captiuitas in incredibilem dolorem commutauit: ſed tamen ille iamdudum ad B. Xauerium ab ipſa Armuzia in Iaponiam vſque ſcripſerat, & reſpõſum proximis nauibus exſpectabat, quod ſi non erat accepturus, diſcipulorum aliquem, dum triennij tempus exſpiraret, mittere decreuerat; idque optabant deſiderio Gaſparis vniuerſi. Ea deinde res, in Iaponiam quanquã fruſtra euocato, ab eo perfici non potuit; ſed & hactenus à nullo tentata eſt: atque ita eo tempore multa meſſis paucitate meſſorum neceſſariò deperibat, & quotidiè deperit magno piorum dolore: qui vtinam pungeret tot in florentibus Academijs Theologiæ & ſæpè vani honoris candidatos, atque ad accurrendum, & opem ferendam infinitis propè animarũ millibus, ſanguine Chriſti redemptis, operarum pænuria æternùm pereũtibus, aliquando excitaret!

CAPVT XVIII.

Cum Armuziano Rege quæ Gaſpari contigerint.

OCCVPASSE Armuziam vniuerſam multo ſtudio & vi lacrymarum Gaſpari parũ erat, quoties Regem illius in dæmonis ditione & ſeruitio cum ſingultu conſpiceret; qui ſanè ſi tãtum ad perficiendum animi habuiſſet infelix, quantum ad inchoandum ardoris, omninò iugum dæmonis cum Chriſtiana libertate commutaſſet. Iamdiu ad Regem rumore vitæ Gaſparis ſanctimonia venerat: Paupertas, integritas, aſperitas, & præ virtutibus ipſe, quo ferè mouẽtur mortales, miraculorum conſtans, & in ore omnium ſermo; quanquam non ſolo rumore res ea Regi conſtitit. Habebat è ſuis Saracenis quendam, qui fortè nouitatis cupidus, ad Gaſparem publicè orãtem ad populum iuerat, non tam audiendi cauſa (neque enim Luſitanicè vel tantillum nouerat) quàm viden-

Gaſpar Luſitanicè loquens à Saracẽo lingua eius

videndi. Quid plura? iuit, audiuit, & quod admirabile est, penitus intellexit, ac si patria lingua dicentẽ audijsset, Deo in seruo suo Gaspare Apostolica prodigia subinde renouante. Venit ad Regem admirabundus, & vt faceret fidem, orationis puncta memoriæ commendata per ordinem repetiuit. Rex ipse iam ante nutans, hoc impetu in fidem nostram planè est impulsus. Itaque non ita multò pòst Gasparem ad se vocat: qui vbi hunc nuntium è pulpito descendens accepisset, lætitiâ exultauit, & re Deo commendata ad regiam perrexit, exceptus ab eo cum insolenti honoris significatione, remotisque arbitris, solo Garcia de la Penha, Lusitano, Regis interprete, conscio, seipsum Gaspari Rex aperit, suaque desideria religionis nostræ amplectendæ explicat, & simul quàm non temerè Saracenorum suorum Procerum motus vereatur; de quibus Patrem consulit, quo maximè modo iudicaret occurrendum. Lauda-

imperitè intelligitur.

tim Pater Regem breuibus aptisque sententijs in proposito confirmat: plus vnum Deum posse, cuius cùm fidē amplectatur, ipsius amoris & prouidentiæ fore, ne quid suscepto baptismo incommodi patiatur; eo protectore mortales non esse metuendos. Simul tamen Gaspar, cuius inexplebilis animorum sitis vlteriùs ferebatur, in ipsorum Procerum salutem inhians, Regi suggerit consilium, quo non modò suos in officio contineret, sed ad suas etiam partes adduceret.

Id erat huiusmodi: Proceres omnes alia qualibet è causa conuocaret, efficeretque, vt ex Arabia & Persida Mahometanæ legis doctores vnà adessent, quos è composito Gaspar ad certamen Rege admittēte prouocaret: illo ex congressu si victoriā, quod planè de diuina bonitate confidebat, reportaret, nulli videri mirum debere, si Rex agnitā veritatem sequeretur; quin potiùs sperare se nobilitatis bonam partem Regis auctoritate permotam,

& ve-

& veritatis vi cõnictam, idẽ ſuſcepturam inſtitutum; ceteros, ſi qui fuerint, contumaces, aliorum multitudine territos, cùm proficere ſe poſſe deſperauerint, verbis ſaltem ſi non animo cum ipſo Rege conſẽſuros. Probata Regi induſtria: ſed re citiùs quàm oportebat euulgata, illius de religione mutanda conſilia patuerunt. Et verò difficile erat, homines ſuſpicaces, cùm Gaſparem inſolito honore affici, ad ſecretum colloquium admitti conſpicerent, arcana non odorari. Rem initiò auditam ex aulicis plerique ſecundis ſermonibus exceperunt. Itaque duo ex omni nobilitate Saracenorum millia, quod ego quidem ex litteris poſſum colligere, ſe commouerũt: (Lucena viginti commemorat, ſed pronum fuit in Arithmeticæ notis errorem ſubrepere; ego quòd verò propinquius viſum ſecutus ſum:) duo igitur, vt dixi, Saracenorum millia ſe commouerũt, atque ita, vt planè baptiſmi diem eundem, qui Regis eſſet, deſignârint;

rint; iamque patrinos suos, vt vocant, ac Sanctorum nomina, quibus appellari vellent, quisque sibi selegerat. Gaspar interim præ gaudio vix se capere, Deo grates referre, sed vehementer formidare, ne qua dæmonis arte tanta è retibus præda laberetur. Nec ille sibi defuit; è prima nobilitate nonnullos, qui alia omnia sentiebant, ad honorem sui vatis propugnandum accendit. Illi ad Regem cùm veniissent, blanditijs primùm, deinde precibus, denique minis à Persarum Imperatore, ab ęrario regio, ab ipsius regni euersione petitis, eum à mentis constantia deturbare conati sunt; sed conati tantùm, nihil enim effecerunt. Itaque aliud armorum genus opportunè, nisi veriùs importunè, armãt Cacizes; docent, quid Rex moliatur, eorum esse ab interitu Mahometana sacra vindicare. Illi ad artes suas conuersi, Regem adeunt, sed contracto supercilio orationẽ occipientes à Rege sunt interpellati & amandati: deinde cùm de

more

more pro foribus palatij ruderent, & insanis clamoribus impostorem inclamarent, Regis iussu lapidationibus expulsi primùm, deinde etiã in perpetuum proscripti. Nec tanta in ijs fuit vel religionis cura vel Mahometis, vt ipsa quæ mittebantur saxa superarit; subitò enim siluerunt, & se cautè subduxerunt. Hactenus Rex constanter; sed quid profuit? quem neque minæ, neque profanorum Sacerdotum reuerentia commouerat, iussę matris lacrymæ & aniles fletus mollem animum vicerunt. Postremum illud & potentissimum fuit, arte Procerum vel dæmonis potiùs, intentatũ telum. Anus igitur illa, Orci pabulum, quà rogando, quà minãdo, quà eiulando, quà capillitium vellẽdo, & in morem præficæ filium iam depositum lamentando effecit, vt spõderet, se in antiqua religione permansurum. Ea res vbi percrebuit, vnà multos è reliquis parum adhuc firmos de proposito quoque deiecit. Inde veriti, ne quid Gaspar

Armuzia Rex propè cõuersus ob matris blanditias in errore perstitit.

tentaret, ac rem iam euersam restitueret, valdè cauerunt, ne palatij fores attingeret; passim dictitantes, eum, quibus valeret carminibus, spiritu solo ac sermone, primo Regem colloquio infeciſſe. Insuper vt Regem in perpetuo metu continerent, miserunt, qui apud Xatamam grauiter de Lusitanis, de Gaspare, de Rege quererentur; rogabant quoque, vt datis ad Reges Lazæ & Carmaniæ litteris, stipendiarios suos, iuberet eos pro aris & ritibus suis in armis esse; Regem quidem iam sibi redditum, hoc metu tamen fortasse, iterum ne mutetur, indigere.

CAPVT XIX.

Heroica Gaſparis in Saracenos prælia & victoriæ.

QVANTVM de Regis perfidia Mahometani lætabantur, tãtũ Gaspar lugebat, sese multùm incusando, peccata sua, in quæ sola vir modestus huius rei causam reijciebat, detestando. Sanè in hanc sententiam de spe sua frustrata ad-

ad socios in Lusitaniam scribit: Hîc videte charissimi, quantus me luctus ex amissa pręda occuparit; sanè multis lacrymis peccatorum meorum, horum omnium causam, magnitudinem expiaui. Sed tamen ita fleuit, vt eum mœror non abiecerit, sed ad medendum incitarit: quod duobus potissimùm modis, humanam diuinamque opem coniungens, aggressus est. Ad Georgium Capralem Indiæ Proregem de re tota scribens, hominem rogauit, ad Regem scribere ne grauetur, & hominem nimiùm sibi rebusque suis metuentem Lusitanarum copiarum & auxiliorum promissione confirmare. Fecit Prorex quod erat rogat⁹; sed nil profectum. Auxilium item diuinum, in quo spem omnem collocarat, implorauit, & ad macerationum corporis & orationum præsidia conuersus, diuinam iram à se, quòd ab animi modestia fontem omnem esse crederet, auertere est conatus.

Sed neque sibi visus est vnus ad rem tantam esse satis. itaque mirè

follicit⁹, ne quid in hoc discrimine res Christiana caperet detrimenti, vndiq; auxilia omnia euocare, supplicantium cohortes denuò explicare, flagellantium ordines disponere, Deiparæ ac Cęlitum omnium ex ordine, solito Litaniarum ritu, opem statuit implorare. Pueri longo agmine primi in acie erant; ætate prouectiores, quinquageni vel sexageni in terga sua sæuientes sequebantur; omnes pariter diuinam clementiam inclamabant. Fiebant hæc in Saracenorum oculis, quę iã feliciore successu impotentes, infestis saxorum imbrib⁹ Christi gregem impetebant, atque adeò inter eos conuenerat, nemini vt Saraceno liceret impunè sacra Christiana suscipere. Deniq; vt Gaspari ægrè facerẽt, in suburbanam, quę Gasparis domui in vicino colle iam habitantis, vt breui dicem⁹, imminebat, ædiculam suam profanam (Misquitam vocant) frequentes itare, ibi inconditis clamoribus obstrepere, blasphemijs etiam sæpè crucem ritus-

tuſque noſtros, magis quàm artus ſuos nouaculis lacerare: quibus omnibus de Regis inconſtantia triumphos ducebant. Res viſa Gaſpari non ferenda: itaque ab excelſo animo ſuo conſilium ſumens rem omninò admirabilem & periculi plenam, ſi non ille diuiniore quadam mente ageretur, perficere inſtituit. Neque enim, vt ipſe ad ſuos ſcripſit, hac in Deum contumelia irritatus potuit impotentis Philiſtæi conuicia ſuſtinere, ſenſitque diuino inſtinctu certamen ſibi, vt olim Dauidi cum Goliath, ineundum. Ergò in aciem egreditur; copiæ fuerunt, doctrinæ Chriſtianæ audito res, pueri ac puellæ; arma, crux vna, quantam duo poſſent ſuſtinere. Cũ ea cohorte, poſtquam noctu, vt feria quaque ſexta ſolebat, de Dominicis tormentis verba feciſſet, inſpectantibus Mauris (noctes enim Armuziæ rebus agendis aptiores ferè vigilabantur) in montem ſubit, & per otium in Miſquitæ ſummo apice, vnde potiſſimum crucem conſue-

In Saracenorum Miſquita ſiue de cruce ſtatuit.

consueuerant detestari, opere cæmentario crucem figit. Terruit ea res (mirum dictu) & Saracenos ita obstupefecit, vt ne mutire quidem illorum quisquam ausus fuerit. Matutinis verò horis, vbi ex alto patuit vexillum fidei nostræ, aliquot Mahometanorum millia concurrerunt, & non secus ac si capta ciuitate hostium pro muris vexilla conspicerent, refugerunt; Mahometem porrò ad ista cæcum, ad suos eiulatus surdum, lamentabiliter inclamantes, ædiculam Gaspari reliquerunt: qui iam expiatam Virgini Mariæ Victrici, à Monte cognominatæ dedicauit, & pium hominem loci custodem, qui suorum scelerum pœnas à se repetebat, ibi collocauit. Eum locum Gaspar cœlestium rerum contemplationi aptissimum affirmabat. Et sanè dubitãdũ nõ est, eum ibi frequenter suos cruci triumphos, tantum terrorem hostium, ex animo gratulatum. Nec Saraceni solùm hanc nobis ædem reliquerunt, sed ceteras in agris omnes, &

Ædiculas & fana sua Gas-

præ-

præsertim maiorem vnam, Gilabatam dictam, vbi quotannis impios suos ritus, & fœdas nouaculis lacerationes magna pompa peragebant. *pari relinquunt Saraceni.*

Iam agrorum omnium, nullo resistente, Gaspar (vt ita loquar) Dominus erat; in ciuitatem profani sacrificuli se cum suis receperant. In ea Coranũ erat sanè magnificum, & facilè totius impij cultus primum vel operis mole vel ornatu, & confluentium vndequaque frequentia. Eò se omnes & eiulatus suos contulerant, tanto vicinorum Lusitanorũ incommodo, quibus ea vrbis pars attributa fuerat, vt ad Gasparem iam semel victorem venirent, rogantes, vti pro sua prudentia illi malo mederetur. Non ita quidem procliuè erat, eos ex hac impietatis arce atque alijs depellere: sed Gaspari diuina ope freto nihil arduum, nimium nihil videbatur. Quapropter ad Regem hominem allegat, quod aditus ipsi omnis esset præclusus, qui petat Saracenis aut silen-

silentium indici, aut eorum inconditos clamores Regio mandato temperari; Christianos id suo iure postulare: primum, quòd in suo fundo ea pati indignum esset; tum quòd iam sæpè conspirantibus cum capitali Christianorum hoste Saracenis pœna hæc perfidiæ illorum debeatur tantisper, dum à Rege Lusitaniæ responsum esset, quid de æde fieret, tum se imperata facturos. Gasparem iam nominis auctoritas & arx Lusitana, quam illi admodum verebantur, audaciorem faciebat, terroreque incusso impetrare, quòd aliter nequiret, confidebat. Porrò hoc vix erat in Regis potestate, & cum Saraceni minas exsibilarent, spes exigua affulgebat, æqua ab iniquis obtinendi. Maiores hîc animo colligit in re ardua Gaspar; denuntiat ijs, ni tacuerint, se cũ sua cohorte, puerorum videlicet, aduolaturum. Sed nec id profuit. Quid ergò? memor illius, vt inquit, Compelle intrare, in proximum diem sex cruces parari iubet, quibus

iam

iam postridie in altum elatis, cum turmis suis iam sæpè dictis egreditur, & pleno die præcipuis consultò vrbis vicis viam carpit. Ad palatij fores vbi ventum est, omnes positis genibus subsistunt, & pijs iteratisque vocibus in hæc verba prorumpunt: Domine Deus misericordia, Domine Deus misericordia. Nec defuit diuina bonitas implorata. subitò Mauri, alius alium præcurrentes, per summum tumultum (mira res crucis!) diffugerunt. Rex verò ea occasione vsus Gasparem ad se vocat, qui iussis ibi ceteris, vbi constiterant, dum rediret, subsistere, ipse ad Regem adit: qui honoris causa eum pro schalis operiens, ibidem se eius ad pedes abijciens, renitentis Gasparis manum nisus est osculari; inde in regium thalamum deductum, inuitum & reluctantem in suo throno collocat, nec antè loqui voluit, quàm Pater ibi consisteret. Ipse verò Patri ad latus assedit; tum multis tarditatem purgat, in turbas suorum reijcit vniuersa, a-

Crucis trophæū in Corano statuit cum puerorū cohorte Gaspar.

sa, animo se hactenus fuisse Christianum, idque compositis breui rebus facturum, vt omnes intelligant. Sed his velum inconstantiæ obtendebat infelix nimis, verum esse expertus illud veritatis oraculum: difficile esse diuites intrare in regnum cœlorum. Nihilominus vt fidem faceret, ait se mandare, vt Corani fores cæmento & saxis obstruantur, totâ insulâ nemo Mahometem inclamet. His Pater respondet, satis se nosse quis eius animum auertisset; rogare Deum, vt quod spondet, aliquando maiori fide exequatur; ceterùm in præsentiarum gratias agere ac sibi gratulari. Rex donatũ Gasparem munusculis, quæ domum eius deinde deferri curauit, ita à se dimittit. pergit ille, & vnà cum ministris regijs Corani fores, admirabili gaudio frementibus Saracenis, fideliter obstruit, & impium vatem vnà cum profano ritu in proprio palatio ac æde captiuat.

CAPVT

CAPVT XX.

Coranum sibi restituere conantur Saraceni.

INiuriam hanc longè maximam, quàm quæ à multis retrò sæculis Mahometi fuerit irrogata, vindicare totis viribus annisi Saraceni. In Persis nihil erat opis aut spei: nam cum illi cum Turcis, quorum ritus Armuziani Saraceni sequebantur, non de imperio magis quàm de religione disceptarent; nobis etiam de occluso celeberrimo fano, impietatis capite, gratulabantur. In aperta vi, Rege ac Lusitanis obnitẽtibus, nihil erat præsidij; & tamen per fas ac nefas suos ritus repetebant. Hoc demum consiliũ ineunt, vt quod ferro non sperarent, auro conficiant. Itaque nouus iam Præfectus, ab Emanuele de Lima longè alius, viginti pardaorum millibus, infami largitione, & à Lusitana animi magnitudine aliena, expugnatur; alij quoque nomine magis, quàm re Christiani, socij sceleris adsci-

adſciſcuntur. Non deerant hominibus impijs è peſtilenti Machiauelli ſchola petitæ rationes: ærarium regium, arcem Luſitanam, ſinus Perſici dominium in diſcrimen vocari. Hæc illi expendunt; Religionis & fidei poſtrema eſt cura: veluti opes, potentiam, regnorum præſidia, non à Deo omnium bonorum largitore, ſed à ſua ſibi induſtria atque in Deum perfidia, qui eius negotium omnium minimè gerunt, promittant. Sed tamen nihil ſine Gaſparis auctoritate audebant, nec facilè eſſe, in ſuas partes eum adducere, nouerant.

Ceterùm periculum illius facturi in arce apparant epulum; Gaſpar ignarus quorſum euocaretur, Præfectorum regiorum, vt præceperat B. Xauerius, obſeruantiſſimus, ire non renuit. Inter cœnandum ex condicto Præfectus per ambages rem ingreditur. ſenſit ſubitò Gaſpar, qui hominem nouerat, & iam nõnullos ea de re audiuerat ſeri ſermones; atque ſe colligens ad certamen,

men, re tacitè Deo commissa, animum obfirmat. Pugnauit pro eo Dominus. Mira enim dictu res! vix apertè rem proposuerat, ecce subitò, tangente Domini manu, sine voce, sine sensu, velut mortuus inter suorum manus dilabitur. Habita res ab omnibus pro furoris diuini, vt erat significatione. Itaque cùm iam Præfectus ad se redijsset, vt qui iam sibi conscius esset largitionis, alia omnia facti pœnitens loqui cœpit, non iam de fani restitutione, sed euersione, ad quam rem operam suam promittebat. Sed Gaspar gratijs actis, nihil præter ea quæ Emanuel de Lima Præfectus alter reliquerat, censuit innouandum. Porrò ex reliquis, quorum opera Mauri in Præfecto corrumpendo vsi erant, multi breui omnibus stupentibus miserè perierunt; ceteri tot adierunt fortunarum ac vitæ discrimina, vt ad pœnam non ad solatium reseruati esse viderentur. Quæ porrò homines impij adferebant, Deus in alia omnia conuertit:

Præfecti Gasparis conatibus aduersarius velut mortuus concidit.

nam

nam de solo ærario cum antè quadraginta pardaorũ millia colligerentur, eo anno ad centũ millia insigni accessione summa excreuit. De tumultu verò nullus sermo: nam Saraceni iam se pro victis gerentes obmutescere, & taciti secum sui vatis iniurias decoquere coacti sunt. Ecclesia verò tantam est deinde pacem consecuta, vt præ feruore ac pietate scribat ipse Gaspar, omninò sibi videri, se Ecclesiæ nascentis aurea illa sæcula esse assecutum.

CAPVT XXI.

De Gentilium salute per Gasparem procurata.

GASPARIS caritas per omnes mortalium ordines peruagata, ne gentiles quidem, qui soli videntur mihi supereſſe, reliquit intactos; ijs eum locum, quem à fide vera remotissimi tenent, extremum damus. Gentiles igitur erant Armuziæ permulti, quibus boues pro Dijs colere præ ceteris sollemne

lemne est. Harum multas quotannis manu mittunt, ijsque tota insula impunè vagari licet, si libertatis notam schedula è collo suspensa circumferant. Neque id tãtùm; pro eo ac Deos decet excipiuntur: aquã illis dare potandam (quæ foris importatur, cum totâ insulâ desit) in cultu diuino reponunt; nosocomia sanè magnifica & opulenta, bobus his fœtis aut ægris curandis habent, ibi ea illis exhibent, quæ nos vulgò in valetudinario infirmis. Herbis ferè vescuntur: nam quicquam mactare, quod vitam habeat (quam plantis inesse negant) magnum flagitium arbitrantur; id ea maximè ratione adducti, quòd animam vitæ fontem, cum illo vate diuinæ particulam auræ, & Deum ipsum esse arbitrentur. Nec ipsi solùm nihil mactant, sed alios quoque, cùm possunt, vel prece, vel redemptis pretio mactandis coercẽt. Inter has tenebras elucet aliquis subobscurus fidei radius in vestigio Trinitatis: Patri potentiam, Fi-

lio sapientiam, Spiritui sancto irrogat bonitatem. Fortè hęc ijs ab antiquis Philosophis, Trismegisto & alijs subindicata, ex Christianorum deinde conuictu paulò clariùs ad posteros peruenerunt.

Iogues quã viuendi rationem habeant.

Gentilium horum lumina erant Anachoretæ quidam (Iogues ipsi vocant) mira vitæ asperitate. Vestis vulgò, quin & cibus cinere aspergebatur, vt memores essent, quoniam cinis & puluis essent mortales; paupertatem & castimoniam præ cęteris virtutibus vel colebant vel præferebant; paupertatem, imò sordes tinctis luto vestibus ostentabant; cibo non nisi mendicato vescebãtur. Stipem porrò petendi hæc erat ratio: in speluncis quibusdam veriùs quàm domibus habitabant in agro suburbano; ex iis cùm vesci vellent erumpentes, vrbis iter ineuntes ad portas subsistebant; nam ingressu suam solitudinem violatam æstimabant. Ibi cornu quoddam inflantes, assuetos iam sono incolas ad cibaria deferenda commone-

monebant: quæ si detulissent plura quam necessitatis ratio poscerent, quàm solâ vitâ non etiam valetudine metiebantur, in posterum diem asseruabant. Eorum occupationes magnam habent cum nostris affinitatem, dæmone diuinitatem affectante, & ijsdem quibus ipsum numen coli cupit, officijs gaudente. Nam & noctu matutinas quodammodo preces, & diurnis horis Ecclesiasticam orandi vicissitudinem sacrorum simius imitatur. Contemplationi non parum temporis tribuunt. ea ferè vel de morte, vel de diuinis (vt Theologi vocant) attributis instituitur: quæ de ijs rebus secum ipsi sunt commentati, ad multitudinem, quæ ad eos audiendos conuenit; de morte deque Deo eloquuntur. Quibus omnibus magnam apud suos opinionem sanctitatis sibi comparant: sed Christiani, vt in his peruidendis acutiores, nullam virtutem tot errorum tenebris obscuratam, & sordibus deturpa-

tam admirantur. Nam illi & idola pro Dijs (Pagodes vocant) & feras colunt, & tot commenta proponũt, vt veritatis radium, si quem habent, extinguant, & virtutum speciem, quam præferunt, deturpent.

Eos potissimùm Gaspar, qui ferè capita petebat, est aggressus, satis gnarus, illorum auctoritate omnem gentilitiorum rituum struem consistere. Itaque frequens eos visere, & qui omnibus omnia fieret, vt omnes Christo lucrifaceret, ea ferè proponebat, de quibus ipsi non inuitè loquebantur; & eò quidem libentiùs quod ijs de virtutibus ageret, in quibus ipse tanto interuallo eos superabat. Itaque non facilè dici potest, vter alterius consortio magis delectaretur: nam & illi Gasparis eloquentiam & animi feruorem admirabantur; ipse eorum consortio, quum alios non habebat, vsus, animum suum sacris colloquijs satiabat. Ex eo frequenti congressu, & aliorum etiam suorum qui Gasparem nouerant, commendatione illum

lum admirari cœperunt, & ne quid præ se admiratione dignum ducerent, tantùm non loquem esse, morum ac vitæ similitudine prædicabant. Sed Gaspar, qui similes illos sibi facere, non ipse illis similis esse cogitabat, iã paratos & sæpè conuictos ad fidei nostræ sanctitatem exhortatur. Nec admodum renitebantur; sed Præfectus aberat, magna sanctitatis & doctrinæ opinione celebris, non apud suos solùm, sed etiam Saracenos: qua enim ille aqua corpus lauerat, eam ipsi velut sacram asseruabant ac bibebãt. Nec id etiam Armuziæ Rex etsi Saracenus refugiebat. Pedes etiam eius abluere, & venerationis erat & beneficij testimonium. Aberat inquam ille in Arabiæ deserta quædam profectus; alios quoque deserti cultores è sua potestate visurus, & disciplinam, si qua parte deficeret, instauraturus. Omnes itaque suam mutationem illi vni reuersuro quã primum deferebant: qui vbi adfuit officiosè à Gaspare salutatus, facilè

illius moribus & consuetudine captus est, accedente potissimum sanctitatis fama iam vulgata. Tantum autem ex colloquijs eius profecit vt omninò labasceret. Nam vt erat acri vir ingenio, & Philosophicis præceptis non mediocriter eruditus, facilè manus dabat veritati: sed tamen non ita procliue erat, eam sanctitatis opinionem tot laboribus partam subitò profundere, & sui nominis splendorem baptismi aquis extinguere. Verùm instabat Gaspar, vt ne minùs constans esset in amplectenda, quàm perspicax fuerat in perspiciẽda veritate: quod cùm sæpius faceret, etiam Deus in animum illapsus, Gasparis sermonem vi suæ gratiæ confirmauit; longam siquidem collocutionem (ea erat de castitate) ita Iogue conclusit: iam planè mihi amoris compedes iniecisti, sic vt cor meum ac tuum vnum esse videatur: sed tamen res hæc vt est magni ponderis, triginta dierum spatium ad aliquid certi statuendum peto. Probauit consi-

consilium Gaspar, & aliquid de suo addidit. Hominem ergò rogat, vt eo temporis spatio quinque flagellorum ictus, in honorem totidem Christi vulnerum assumat; simul ex animo rogans, vt eam animo lucem infundat, qua vtram legẽ sequi debeat, facilè ac certò peruideat. Is vt erat iam cupidus explẽdæ diuinę volũtatis, & suum & Gasparis consilium seriò aggressus est explere.

Viso admirabili & voce ad fidem Iogũ præfectꝰ impellitur.

Accidit porrò nocturnis horis, cum hoc ipsum die quodam impensiùs ageret, ac simul de diuinis perfectionibus meditaretur, vt delata ad se voce vigil omninò audierit: quid subterfugis? quid moraris? age, eam viam, quæ tibi monstratur, carpe: sola lex Christianorum directa est ad salutem via. Admirantem hominem alia res etiam magis commouit. Tum enim vidit vniuersam sollemniorem apud Christianos dierum pompam sibi offerri: ornatas ædes sacras, instructa altaria, fulgentes suis quemque

vestibus ministros, aureas argenteasque cruces, calices, Ecclesiasticam supellectilem denique vniuersam. Itaque non visis minùs quàm auditis confirmatus, gratijs Deo actis monétem audiuit, & noctis tenebras damnãs, diem suorum votorũ complementum cupidus præstolabatur. Hîc dæmon omnes neruos intendere, & extrema adhibere cœpit, ita res suas componens, vt Armuziæ Regem ad visendum Iogues religionis causa eodem die induceret. Ea res magnum telum erat ad animum tironis expugnandum: sed tamen vi solatiorum diuinorum adhuc recente repulsum est. Prima luce aduenientem Regem, in latebras sese abdens est frustratus, ne profanos & illicitos Christiano honores admitteret. Inde sub Regis discessum è latebris prorumpens in vrbem aduolat, ad Gasparem adit, audita visaque narrat, baptismum petit. Stupuit ciuitas hoc nũntio, Rex ipse, sed maximè Iogues vniuersi, qui fidem suam egregiè exsoluen-

uentes, magistri auctoritatem secuti, ad baptismum quoque accurrerunt. Quos omnes, vbi iam satis imbuti Christianæ doctrinæ capitibus visi sunt, stupente vniuersa ciuitate, summa pompa triumphoque Christianorum alba indutos, salutaribus baptismi aquis, à sordibus suis & cinere, ac maximè à peccatis animum expiauit.

Iogues baptizãtur & idola cõminuũt.

Hoc autem totâ Indiâ non admirationi fuit solùm, sed & prodigio, atque ijs quidem sæculis rariore, est habitum. Primario illi Pauli nomen inditum; inde eadem, qua ad baptismum ventum erat, pompa, concurrente tota vrbe, ipsi vnà cum Gaspare, & cruce præeunte, ad simulacra sua comminuenda perrexerunt: in cuius laboris partem veniens Gaspar, pro eo quo erat in hostem humani generis, diuinos sibi honores arrogantem, odio, non satis sese capiebat. Inde erecta opportuno loco cruce, hæreditatem crucifixi nomine adijt, & domũ in eos vsus deinde, quos sequenti cap. explicabo, præparauit.

Cum verò Paulus cum ſocijs iam eſſet Chriſtianis ſacris probè eruditus, ipſe aliò aſpirabat: Luſitaniam, deinde Romam Eccleſiæ caput, videndi deſiderio tenebatur, vt ea conſpiceret, quibus diuinitùs ad fidem fuerat inuitatus. Itaque deſiderium ſuum cum Gaſpare communicat; nec lubens annuebat Gaſpar, fortè qui futura præſentiret: ſed tamen Emanuelem de Lima expræfectum in Luſitaniam redeuntem cùm ipſe interceſſorem adhibuiſſet, Gaſparem expugnauit; cuius fidei commendatus, longam ac difficilem viam emenſus Luſitaniam tenuit, & Regi oblatus, ab eo receptus eſt, velut aliquod ab Aſia, vt erat verè, prodigium. Ibi cùm aliquamdiu non ſine Gaſparis gloria, virtutis ſuæ indicia præbuiſſet, viſitato priùs Collegio Conimbricenſi, quod ille velut Magiſtri ſui tirociniũ & cunas venerabatur, cùm iam ſe ad iter Romanum accingeret, celerioribus equis ad Pontificem animarum, itinere ad Vicariũ inter-

interrupto, profectus est. Ita P. Lucena scriptum reliquit: quanquam etiam sunt, qui reducẽ velint fuisse ex Europa in Indiam, atque in conuertendis Armuziani Regis vxoribus egregiam operam P. Antonio de Eredea dedisse. Gaspar porrò Iogum conuersione ad ceteros Christo adiungendos bellè vsus est: cũque quotidiè sanè multi ex Armuzianis nomen ei darent, secum ille sedulò cœpit disquirere, quo pacto Iogum cœnobia, quę illi passim tota Arabia ac Persia virorum ac mulierum habent plurima, ad fidei lumen perducere posset: idque habitu Iogum assumpto, triennioque Armuziani carceris sui expleto, cũ neophytis perficere sperabat. Nullibi consistere animus in proximorum salutem incensus poterat, nullis terminis contineri; quod prudentium arbitratu longè maximum est in Gaspare virtutis argumentum.

Gasparis zelus.

CAPVT XXII.

Armuziæ de Collegio Societati parando cogitat.

INTER hæc pietatis officia, Gaſpar non de faciendo fructu magis quam cõſeruando ſollicitus ſecum agitare cœpit, qua ratione quæ iam fecerat, abſens etiam per alios tueretur. Optima viſa eſt ratio, ſi Societati noſtræ certas ædes ac domicilium Collegio inſtituendo pararet. In eam rem intento Deus hanc opportunitatem ſubminiſtrauit. Habitabant, quos dixi, Ioguesin monte ſuburbano, media ab vrbe leuca non tota: ea iam congregatione, quam Gentilicia ſacra coegerãt, fidei Chriſtianę ſuſceptis ſacris diſſoluta, magna Pauli, priuſquam diſcederet, ſociorum, & totius vrbis voluntate, is locus futuro collegio deſignatur: qui eo libentius à Gaſpare eſt acceptus, quòd vulgò toti' inſulæ, quantum ibi eſſe poterat, maximè ſalutaris habeatur; tum etiam vt dęmoni ægrè faceret, in eius domi-

domicilium commigrando. Expiat ergò ante omnia locum, & ædicula Reginę Angelorum dedicatur, Collegium Boni IESV appellatur. Cuius quidem condendi hoc erat Gasparis consilium, vt Armuziâ velut opportuno ad excurrendum loco, ij qui in Africam ad Abyssinos, in Asiam ad Arabes, Persas, Armenos, Georgianos mitti deberent, hinc educarentur, præter eos, qui ad celeberrimum illud emporium excolendis tot nationibus percommodũ necessarij esse videbantur. Itaque iam pro quadraginta, qua Sacerdotibus, quà alumnis, locum & necessaria parare cogitabat. Et profectò tanta erat ciuium in eam rem conferẽtium liberalitas ac multitudo, vt similis esset, quæ in arca fœderis exstruenda fuisse narratur: alius mille, alius quingentos pardaos conferebat; & alius quidam quattuor millia pardaorum obtulit, & multi quidquid habebant, si voluisset accipere, profundebant. Sed tamen ceterorum munificentiã, Ema-

nuclis de Lima tum etiamnum Præfecti (cupio enim memorem esse lectorem eius quod ante monui, me in his narrandis rerum non temporum habuisse rationem) beneficentia stitit: neq; enim pati poterat in hoc opere, quod suum esse volebat, vel socium, vel parem; vetuitque Gasparem quidquam à quoquam accipere, se collegij ambire fundationem. Quæ cùm videret Gaspar ita feliciter procedere, nihil cunctandum ratus, candens antequam tepesceret ferrum cudendum iudicauit. Itaque simul in Indiam ad Rectorem de tota re scripsit, simul rem vrgere perrexit, ea, quam acceperat à B. Xauerio, locum diligendi & in Societatem admittendi, vsus potestate P. Antonij Gomez hoc fuit responsum, videri sibi, videri Episcopo, cui res nostræ Societatis Franciscus abiens commendarat, in eo quod vterque probabat opere, tantisper supersedendum, dum è Lusitania subsidium adueniisset: cũ enim iam Gaspar in exitu suæ

missio-

missionis esset propediem in Iaponiam euocandus, neque iam tota India inueniretur, qui à suis occupationibus sufficiendus Gaspari, posset auocari; rem breui necessariò relinquendam, quam proinde præstaret omninò non inchoare. Is nuntius Gaspari fuit inexspectatus; sed vt erat parendi studiosissimus, extemplo rem iam bene promotam intermisit. Interim hac vsus occasione suauissimè socios è Lusitania in Indiam inuitat quadam epistola, qua hæc narrat, atque ita ait: O fratres adeste nobis; hîc mel diuinæ suauitatis per agros temerè fluit, quod mel inclusi vestris cubiculis vix summo labore consequi potestis. Si scientia deest, hîc doctorem habemus spiritum, qui lectionem nobis quotidie legit, tum deinde suppellectilem suam numerat sacram & domesticam. Insuper Prorex statuerat, vt quotquot è militibus Societati nomen darent, stipendia militaria in vsum Collegij reciperent; quingentos item pardaos

elec-

eleemosynæ nomine miserat, præter alios 120. quos ad Gasparis alimenta persolui mandabat.

Interim tamen dum ex India nũtium exspectat, è multis qui Societatem petebant, sex selegerat, Spiritu Sancto, vt ait, vel inuitum cogente, (quorum ego ad meliora cõuersionem in caput vnum cum aliquot alijs reseruabo) & magistrum, qui in Grammaticæ præceptis eos erudiret, externum adsciuerat. Pauci erant illi omninò præ reliquis candidatis: sed tamen alios bona spe alebat, fore, vt secum in Chinã proficiscerentur, atque vt ad Societatem apti non viderentur, plurimum tamen, si comites fuissent, auxilij allaturi videbantur. Sanè quoniam illi cum eo mori, (quod vt in animo ita in ore semper habebant) cupiebant, tales reijcere, crudele nimis videbatur. Viuebat igitur Gaspar cum suis illis paucis in eum modum, quo antiqui viuebant Anachoretæ, ita tamen vt ipse rẽ Christianam contemplationis suauitate

ille-

illectus non omitteret. Etiã Iogues à monte non abeſſe, ſed in melius mutati videbantur: atque eorum hæc erat ſub Gaſparis diſciplinâ viuendi ratio, quam cùm ipſe minutim explicet, non putauimus omittendam. Hora ante lucem iam excitatis omnibus, dabatur ad orationem nolâ ſignum; eâ poſt horam finitâ, Gaſpar ad faciendum ſacrum ſe parabat, cui ſuccedebant quotidianæ lectiones in horam vndecimam; tum prandium, tum excutiebatur conſcientia; inde rurſus ad lectiones ad quartam vſque poſt meridiem horam; inde ad cœnam conueniebant; poſt hanc Litaniæ, & mox altera hora rerum diuinarũ commentatio; inde iterum facta dictaque & cogitata omnia ad trutinam reuocabantur; tum denique die ſanè non malè collocato ad quietem concedebatur. Feria quoque ſexta pro Eccleſiæ ſtatu communis flagellatio: Litaniæ porrò pro Societate & in eam munificis recitabantur; ſacro die quolibet horæ

horæ ſpatio de pijs rebus, de remedijs vitiorum, de exercitio virtutũ ſacra erat collatio. Eam collationem, recreationem vocat, qua rationem ſolatiorum & ariditatum ſpiritualium quiſque cum magno candore reddebat. Neque ea virtutis exercitatio domeſticis parietibus circumſcripta, non aliquando palàm prodibat. Alij ſtipem petebant oſtiatim; alij ægris in valetudinario aderant; alij ad Saracenos verba facere, vel amore Chriſti aliquid emendicare iubebantur: quorum aliqui ab ijs lapidati domum redibant, patientiæ modeſtiæque exemplo clariores. In his virtutibus inque crucis deſiderio eos Gaſpar inſtituebat: itaque Magiſtro ſimiles, alius Arabiam, alius Perſidẽ, alius AEthiopiam, Martyrij ſedem deſignabat, ambiebat, poſtulabat. Et certè videtur hîc mihi Gaſpar Conimbricenſem illum in ſuis initijs ęſtum, quem ſub P. Simone conceperat ipſe cum alijs, huc Armuziã tanto interuallo intuliſſe, qui cũ

ipſo

ipso telluris calore certaret, ne plus ardere corpora quàm animi viderentur. Erat præter hos senioculus quidam, vir honestus, qui post institutam Gaspari peccatorũ confessionem abire Collegio noluerat, sed in eius obsequio, licet è nostris non esset, versabatur, quòd diceret alibi se nusquam posse conquiescere. Ex ijs, qui tandem ad nouem aut ampliùs excreuerunt, quinque Armuziæ sunt mortui, vel aêris iniquitate, vel etiam, vt ipse Gaspar testatur, nimio feruẽtis animi impetu, quòd plura quàm quæ à Gaspare permitterentur, audebant. Alios ipse vel secum Goam duxit, vel Armuziæ successorib⁹ reliquit. Et sanè vsus deinde docuit, Armuzianum cœlum Collegio non conuenire; & hoc ipse Gaspar deinde agnouit: nihilominus aliquot ibi habuit, de quibus initio libri sequentis, successores, qui domum illam aliquamdiu incoluerunt.

CAPVT

CAPVT XXIII.

Conuersiones aliquot rariores.

MAGNA fuit, vt antè sæpè dixi, in multis animorum mutatio: quare priusquam Armuziâ cum Gaspare discedamus, aliquot insigniores, quas ob materiæ similitudinem huc consultò reseruauimus, exarandæ, reliquis suo loco collocatis. Præter eas, quas suprà retulimus, admirabiles hominum metamorphoses tot fuerũt, quot fuisse credibile est in ciuitate sic repentè immutata: harum quattuor nec plures, è quibus ceteræ colligantur, delegi. Ludentem fortè quendam, quòd non ex animi sententia succederet, tantus furor inuaserat, vt iurare, blasphemare, negare, quicquid in cælo & in terra esset, iam pænè videretur. Transijt tum fortè Gaspar (quanquam fortuitum esse non poterit, quod narratur) & hominem intuitus, admiratus est primò feruorem, deinde ipse quoque alijs verbis furere ac tona-

tonare aggressus, acriter cœpit hominem suæ impotentiæ incusare. Quid plura? hoc verborum fulmine ad Patris pedes afflictus veniam petijt, ac non solùm in futurum abstinere pollicitus, verùm etiam sãctè affirmauit, se à Patris latere nullo vnquam euẽtu discessurum. Nec flamma fuit eodem propè momento collucens ac disparens, sed verũ constansque incendium. sic institit apud Patrem, donec ab eo est in viuendi consortium admissus, in quo vitę sanctitate id confirmauit, quod in sacris litteris dicitur: Vbi abundauit iniquitas, superabundabit & gratia.

Sed ille non solus fuit. fecerat Pater verba ad populum magno, vt solebat, animi ardore: sed tamen quia de cruce, suis amoribus, loquebatur, longè vehementiùs dixerat. proposuerat crucem se duce omnibus per vniuersam Turciam, Persidem, ac Arabiam deferendam, vt vel eam Mahometani adorarent, vel certè, quod optandum erat, ipsi-

met

met in eam agerentur. Fuit è cõcione vnus aliquis, qui cũ verbis crucis quoque amorem hauſerat, vt deſcendenti Gaſpari ad pedes acciderit, qui fletu magis quàm verbis palàm ſe cum eo moriturum proteſtabatur: itaque petebat, vt extẽplo ad eam mortem crucemque quærendam, cuius deſiderium ferre diutiùs non poſſet, mitteretur. Is deinde hoc ſaltẽ impetrauit, vt lentam crucem & continuam in edomandis animi perturbationibus mortem, ſub Gaſparis diſciplina pateretur.

Sed tertius ſeſe ſupra ceteros videtur extuliſſe. Is erat iuuenis, nimiùm in cultu corporis cõptulus, ac propè puellaris. adfuit is fortè Patris, de mundi contemptu, concioni, cuius verba tantum potuerunt, vt mox à concione palàm ſe exuerit, veſtem cum paupere commutarit, ipſe diſtributis quoque fortunis ſuis mendicato victitarit. Noctes porrò totas ad publicæ crucis pedem tranſigebat, ibi requiem

quæ-

quærens, vbi ceteri laborem inueniunt; dies ægrorum obsequijs totos consecrabat. Ea viuendi ratione hoc maximè, quod quærebat, est cõsecutus, à mundo non cõtemni minùs quã vicissim contemnere: vulgò enim egere cerebro putabatur. Sed nimirum eum ad se venientem Gaspar pro sapiente habuit, & rogantem in suum commercium admisit, tanta hæc ad perfectionem rudimenta tanti magistri lima expoliturum: quod abundè præstitit, cùm perpetuis crucis necisque pro eius honore subeundæ desiderijs ageretur.

Sed neque possum non inter hæc enumerare Sacerdotum incolarum subitam in Gasparem conuersionẽ. Satis conueniebant cum Gaspare, quippe qui tantum illis deferret. vna res eos torquebat; passim solitos anteà sibi confiteri ad Gasparem diffluere: eam rem enimuerò, vel quæstus causa vel alia qualibet ferre non poterant. vulgò eos à Gaspare auerti, ad se allici crede-

credebãt. Auxit eã rem Monajanorum militum Gaſpari confiteri volentium verior pertinacia, quàm pietas. Itaque conferunt capita, ſe deſeri, ſperni, vnum Gaſparem inore eſſe. quid remedij ? tum neſcio quo dicente, (numine afflatum puto) nemini hoc mirum videri debere, Gaſparem innoxium eſſe; ſed eũ eſſe iam Societatis æſtum, quæ vitæ modeſtia humiliore loco ſita oẽs ad ſe velut fluctus confluentes admitteret: itaq; conquieſcere melius videri, & potiùs Gaſpari fauere ac gratulari, ſicubi opus erit, etiam opem ferre. Acquieuerunt reliqui, & vnanimes ad Gaſparem venerunt, operam ſuam, qua in re vellet, liberaliter offerentes. Hæc Gaſpari Vicarius ipſe narrauit, miranti tam ſubitam eorum ad ſe cõuerſionem.

CAPVT XXIV.

Rebus admirabilibus Gaſparis conatus Deus ſæpe promouet.

MVLTA ſparſimus eiuſmodi, nec ſpernenda: ſed præcla-

clariora quæ videntur supereſſe, non ſunt ſilentio prætereunda. Nã præter nocturnam illam apparitionem, votum ægritudinis auditum, fugientis febrim, miracula Monajana, Saracenum Luſitanæ linguæ quam ignorabat interpretem, Ioguem ad fidem conuerſum, mortem pertinaci prædictam, Præfectum Corano fauentem, & alia ſexcenta (tota enim eius Armuziæ vita cõtinuum videtur fuiſſe miraculum) alia multa, memoria & admiratione digniſſima, contigerunt: ſed tamen non omnia ad poſteros peruenerunt; ea ferè ſolùm, quæ Gaſparis modeſtia tranſmiſit: cuius miracula Patris cuiuſdam nomine non ſuo narrata, Dei prouidentia prodita fuerunt, ne fortè quiſquam de quolibet alio dicta poſſet arbitrari. Id quomodo patuerit, mox dicendum; nunc ex multis pauca proponamus.

Vir erat frequens Gaſparis auditor; is vt maximè ſe cuperet dæmonis vnguibus, quibus iam diu te-

 ueba-

nebatur implicitus, explicare, tamen in abitum Gaſparis pernicioſo conſilio peccatorum expiationem differebat, pudoris quam erat ſubiturus infamiam vna cupiens confeſſione ſuperare, ne deinde quoties Gaſparem videret, erubeſcere cogeretur. Senſit Pater dolum, & denique perfecit, vt quod non audebat, auderet: ſed quum vnus non eſſet dies confitenti ſatis, Gaſparem ſtudio in plures dies prorogabat, vt & omnia emungeret, & hominem ſalutaribus ſubinde pœnis ad veniæ beneficium præpararet. Vnam ex ijs pœnis cùm fortè nocte concubia expleret, ſubitò cubiculi fœdis quibuſdam & horribilibus feris compleri cœptum; eæ hominé propè exanimem deterrere, cingere, & in eas denique anguſtias redigere cœperunt, vt iam pænè deſperabundus, non ſatis, vbi anchorá fidei figeret, inueniret. Denique Deo adiuuante vnam Chriſti Domini effigiem, quam ante ſe habebat, arripuit: ac velut qui iam

Spectro terrifico quidam ad melioré vitam impellitur.

iam-

iam iamque submergendus in vndis volutatur, si quid arripuerit ita tenet, vt omninò non dimittat: ita ille hanc imaginem amplexatus Iesum etiam cœpit implorare. Ad eã vocem fœdi spiritus fœtorem & ingentem fragorem edentes diffugerunt, in perpetuum superati; nam ex eo tempore magnam animo pacem à peccatis absolutus semper sensit, & in virtutis semita, quam ingressus erat feliciter, ad finem vsque perrexit.

Missæ sacro sacrificio ægrũ sanat.

Illud in anima curãda fuit mirabile; q̃ sequitur, fortè fuit admirabilius in corpore. Lusitani cuiusdam primarij hominis filius ad extrema iam peruenerat, cui supra febres, mortis causam, oculus alter planè excauatus putruerat, nec iã in medicis vel arte præsidiũ. His ergò damnatis ad Gasparem diuinæ opis causa pergit, rogat, vti pro salute filij Missam in Deiparæ inuocatione faciat. fecit; & ingens miraculũ! Eo ipso die sub expletum sacrificium puer à febribus liberatur: sed

nec satis excidentibus eodem tempore ex affecto oculo squamis quibusdam crassioribus, alteri simillimus & planè integer remansit. Accurrit parens gaudio plenus, Gaspari rem narrat & grates agit: sed Pater doctum hominem, vti Angelorum Reginam huius auctorem agnoscat, abs se dimisit: factum interea, quod facilè euolauit, sua modestia continens. Puerum deinde illum iam virum ac parentem in Lusitaniam reduces P. Franciscus Gouuea, Lusitanicæ Prouinciæ Præpositus aliquando Prouincialis, iã multis antè annis conuenit, filium vidit, & à parente filioque miraculum audiuit, qui tum in D. Iacobi de Cacem morabatur. Eũ ego deinde P. Gouueam Vlyssiponæ conueni, à quo de re ipsa, quam etiam P. Lucena ab eodem audiuerat, sum iterum confirmatus. Atque hoc potissimum est, in quo Gaspar, ita Deo volente, qui hoc inter cetera tanquam de alio narrat, est deprehensus: nam cùm cetera eiusdem esse refe-

referat, omnia necessariò Gasparis ope à Deo perfecta concluduntur.

Alium item eodẽ modo sanat.

Eodem missæ sacrificio, vitam amico cuidam suo ita mirabiliter ac subitò reuocauit, ac si ad vitam verè mortuum suscitasset. Sed neque omittendum est, qua ratione importunum à muliere vexatorem diabolum abegerit. Maritus huius ad Gasparem venit, narrat horrendis coniugem spectris ad extrema iam perductam; rogat insuper, vti Gaspar ad eam Euangelium recitaturus venire ne grauetur: nec abnuebat ire, sed negotia non ferebant. Ne tamen hominem à se sine subsidio dimitteret, scriptis paucis illis voculis, quibus missę sacrificium concluditur: Et verbum caro factum est, &c. hominem docet quid facto opus sit. Vadit ille plenus fide, de Gasparis nihil dubitans sanctitate, sacra hæc verba mulieris collo appendit. nec mora; dæmon sacrorum vim verborum, nec ipsam Gasparis manum ferens, abire iussus, ipso momento abijt, mulier eodem

Energumenam liberat.

cum antiquis viribus & salute surrexit.

Sed Dominus, qui alijs ope Gasparis salutem restituebat, ipsius quoque conseruauit, etsi Armuziæ, vt accepimus, æger fuit non parùm. & quid mirum in ijs laboribus? Ego tamen planè pro miraculo habeo, quod ab ipso narratur: dicit enim socium suum Raymundum Pereiram, cùm propè ab æstu exstingueretur, & ipsi libri ac mensa in qua Gaspar ipse studebat, pænè arderét, vt vix manus eum æstum contactu ferre possent, tamen eo tempore non modò non æstuasse, sed etiam frixisse; vnde & præter interiorem talarem thorace etiam induebatur. Sed nimirum vires dabat ei Dominus, quas tam vtiliter expenderet; quas sæpè negat ijs, qui nimiùm de se solliciti Deum ipsum incuriæ pænè videntur incusare. Hæc & plura alia, quæ Deus per Gasparem perfecit, lubet præclaro P. Ludouici Froez, Iaponij illius historici, & Gasparis in Indica nauiga-

nigatione comitis, testimonio concludere. Ille enim post eius mortē, post enumerata multa ab illo præclarè gesta, in epistola in Europam de miraculis, quæ Armuziæ contigerunt, hæc habet: Euidentissima, quæ Armuziæ contigerunt, miracula non explicabo, indignitatis meæ conscius: nam cùm bestiæ si montem sanctum tetigissent, lapidibus obruebantur, ego me digniorem reprehensione existimarem, si impuris manibus meis adres istas sacras accederem.

Elogium de Gaspare P. Ludouici Froez.

CAPVT XXV.

Qualem Armuziam reliquerit.

INITIIS extrema si comparaueris, facilius videbis, quantum inter vtrumque sit discriminis: quod discrimē è quotidianis ægrius conspicitur incrementis. Ac si virū cum puero contuleris, facilius videbis quid interfit, quàm si discrimen sæpius aduertere volueris. Quantum itaque initiò Gaspar doluit atque fleuit, tantum iure nunc

posset exultare: sed quoniam ille quæ retro sunt obliuiscens ad anteriora se extendit, nos interim hoc vltimo capite, priusquam discedamus, totam ciuitatem è mentis specula perlustremus. Quæ perfecit, video in duobus ferè constitisse: nã vel mala sustulit, vel bona substituit; & ea bona vel secum velut mobilia extulit, vel velut immobilia Armuziæ reliquit constituta. Supinam illam ignorantiam rerum diuinarum, cum puerorum, virorum, mulierum, negotiatorum, Iudæorum, Saracenorum, Gentilium institutione, qualem vidimus, commutauit. Omne libidinis genus, cũ ea puritate, flagellationibus, cilicijs, ieiunijs, cum quibus illa consistere non potest, conuertit. Inimicitias in pacem, in amplexus, in supplicum amicitiam domi, pro vicis, pro foribus ædis sacræ transformauit. Auaritiam substituta iustitia, restitutionibns & eleemosynis proscripsit. Contractus nefarios sacrorum reuerẽtia Canonum exstir-

exstirpauit, Mahometanorum ora concluſit, Coranum clauſit. Iudæos repreſſit, Gentilium capita expugnauit, Chriſti cultum, qui præ ceteris iacebat, præ ceteris erexit: & denique, vt non erat malorum finis, ita nullus eſſet ijs enumerandis peſtibus, à quibus ciuitatem vindicauit. Sed quum non ſatis eſt à malo declinare niſi bonum feceris, hæc ipſe bona prçſens pariebat ciuitati. Quotidiè doctrinam Chriſtianam explicabat, ægris aderat, confeſſiones excipiebat, catechumenos inſtruebat, baptizabat, cuſtodias publicas viſebat, cuiuſque ſectæ res ſtatis cuiq; diebus procurabat, Dominicis & feſtis diebus ter concionabatur; manè ad populum, veſperi ad ſeruitia, tum ad ægros. Hæc verò etiam iam in morem inducta dereliquit, ſucceſſoribus ſatis negotij daturus, vt ea quæ cœperat, perſequantur, vix vllum induſtriæ nouæ angulum reliquum faciens, quem nõ occuparit. Doctrinç Chriſtianæ quotidianam, vt dixi, expli-

cationem; sub noctem nolæ pulsū, quo mortales noto iam carmine ad preces pro ijs, qui suorum criminū pœnas luunt, excitarentur; simul & pro his, quorum iam animi letalis peccati vulnere interierant. Quod quàm esset salutare, si alibi iam vsurparetur, & nocturni circitores sacrum aliquod carmen, iussu Magistratus, pro lasciuo aut inepto filijs tenebrarum occinerent! Præter hæc, tres conciones, Sacramentorum frequentationem, quæ non solùm antè in vsu non erat, sed per ludibrium & impietatem, atque irreuerentiam prorsus iacebat, vsque adeò, vt Præfectus ipse sermonibus hominum ab ea se initiò deterritum fuisse fateretur. Feria sexta sollemnem illam cum frequenti flagellatione concionem de tormentis ac morte Domini, Supplicationem, Virgines multas collocatas, Valetudinarium instructum, Sodalitij Misericordiæ domum auctam, Cleri aliam faciem, AEdiculam sacram pro infami Misquita, Iesu

Boni

Boni Collegium pro Iogum fano & cauernis, denique Armuziam iam aliam, ac ita dissimilem, vt si ea mutatio corporeis oculis conspici potuisset, nemo eam agnouisset. Sed ad extremum maximi prodigij loco pono, hæc omnia ab vno homine trium annorum spatio perfici potuisse, quæ vix potuissent toto illo spatio cogitari vel optari. Ego sanè ita arbitror Platonicam illã Rempublicam, aut illam Thomæ Mori Vtopiam, sicubi est, hîc fuisse cum omnibus suis numeris, si religionem spectes, à Gaspare constitutam.